

~~122~~ 122,302

DE
SOPHOCLE
MEDICI HEROIS

SACERDOTE
DISQUISITIONIS DELINEATIO.

=====
PARTICULA I.

SCRIPSIT

CAROLUS PAUCKERBIUS.

Bibliotheca
Universitatis
Jurievensis.

DORPATI MDCCCL.

TYPIS SCHUENMANNI VIDUAE ET C. MATTIÆSENI.

*Grav. Gönnermanns Buchhandlung v. Schroeder
fortgesetzt von
des Buchhändlers.*

DE
SOPHOCLE
MEDICI HEROIS

SACERDOTE
DISQUISITIONIS DELINEATIO.

—
PARTICULA I.
—

SCRIPSIT
ET
AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
CAESAREA UNIVERSITATE LITERARUM
DORPATENSI
GRADUS
MAGISTRI PHILOSOPHIAE

RITE OBTINENDI CAUSSA
PUBLICAE DEFENDET
CAROLUS PAUCKERIVS
G. F.,
MITAVIANUS, PHILOSOPHIAE CANDIDATUS.



Ar. 108

DORPATI MDCCCL.
TYPIS SCHÜNMANNI VIDUAE ET C. MATTIESENI.

I m p r i m a t u r

haec dissertatio ea conditione ut, simulac typis fuerit excusa,
quinque ejus exempla tradantur collegio ad libros explorandos
constituto.

Dorpati Livon. a. d. VI. Cal. Mart. MDCCCL.

Dr. K. L. BLUM,
h. t. Decanus f. ph.

GEORGIO MAGNO PAUCKERIO

HENR. F.,

DOCT. PHILOS., PROFESSORI EM., IMPERATORI AUGUSTISSIMO
A CONSIL. COLLEG., ACADEMIAE DOCTORUM VIROVVM AUSPICIS
AUGUSTISSIMI ALTIORIBUS STUDIIS INCUMBENTIVM SODALI CORR.,
ORD. S. ANNAE III CL. EQVITI, INSIGNI INTEGRITATIS PER XXXV ANN.
IN ADIMPLENDO OFFICIO SPECTATAE ORNATO ETC. ETC.

PATRI OPTIMO,

VITA MIHI CARIORI,

QUI PIETATIS CHRISTIANAE SINCERITATE, OBEDIENTIA
LEGVM PRINCIPIS A DEO CONSTITVTI, MORVM SANCTI-
TATE, INGENII ACUMINE, DOCTRINAE PRAESTANTIA,
STVDIORVM ASSIDVDATE, VITAE ELEGANTIA AC
DIGNITATE

**VNVS MIHI OMNIS VIRTVTIS CLARVM
PRAELVCEX EXEMPLVM,**

HVNCCE QVALEMCVNCVQVE LIBELLVM,
TE QVIDEM INDIGNVM, PIETATIS TA-
MVN MEAE ERGA TE, VTI TV SCIS,
DOCUMENTVM

D. D.
SCRIPTOR.

D134584

In Vita Sophoclis, ex bonorum et antiquorum auctorum excerptis non inepte composita¹⁾, exstat locus corruptissimus quidem, sed valde memorabilis, qui ap. West. in vitt. scrr. gr. min. p. 128 sic legitur:

. . ἔσχε δὲ καὶ τὴν τοῦ Ἄλωνος ἱερωσύνην, ὃς ἦρας ἦν μετ' Ἀσκληπιοῦ παρὰ Χείρωνι, ἰδρυθεὶς ὑπ' Ἰοφῶντος τοῦ υἱοῦ μετὰ τὴν τελευτὴν· (γέγονε δὲ καὶ Θεοφιλῆς ὁ Σοφοκλῆς ὡς οὐκ ἄλλος κ. τ. λ.²⁾).

Corrupta haec esse, omnes consentiunt. Ego tamen, quae est et loci et totius scriptionis conditio³⁾, dubito, an recte censeam, minus id agendum esse, ut. quid compilator scripserit, probabiliter restituamus, quam ut eruamus, quid apud eos fuerit, quos compilavit, magis de rebus quaestionem esse debere, quam de verborum compositione. Sed primum omnium apparet, heroem, cujus sacerdos fuerit Sophocles,

1) Bernhardy Grundriss der griech. Litteratur II, § 118, 1. 1.

2) Codicum varietas sec. Westermannum haec est: τοῦ om P. L. -- ἦν om. S. (,Paris. 2712 saec. XIII, omnium antiquissimus atque praestantissimus⁴⁾) et J(en.) — Ἀσκληπιὸν J. — περὶ S. P. — ἰδρυθεὶς μετὰ τὴν τελευτὴν Ἰοφῶντος τοῦ υἱοῦ J.

3) Cf. Welcker alte Denkmäler 1. Th. Gött. 1849, S. 464.

medicum esse natura, tum, herois nomen utique falsum esse. Nam neque medico heroi istiusmodi nomen congruit, neque vero ulla exstant Halonis in Atticorum historiis vestigia. Ergo nihil antiquius quaestionem de Atheniensium heroe medico aggredienti, quam ut eidem heroi suum restituere nomen laboret. Quod palmari conjectura inventum suppeditavit nobis A. Meinekius, vir inter criticae artis principes clarus. Haec in „fragm. com. graec.“ t. II, 2. p. 683 in margine adscripsit: „Anon. in V. Soph. ἔσχε δὲ καὶ τὴν τοῦ Ἀλωνος ἱερωσύνην „κ. τ. λ. Scribe Ἀλκωνος et post Χείρωνι adde τραφεῖς. „De Alcone heroe Attico, Erechthei filio, Phaleri patre schol. „Apoll. I. 97.“ Eo loco scholiasta secundum Proxenum⁴⁾ refert, Phaleri, qui inter Argonautas fuit, patrem Alconem, Erechthei (vel ut est in cod. Paris. Eurysthenis) filium, quondam Athenis Chalcidem confugisse, mox exposcente patre, non esse redditum. Addere poterat Meinekius etiam alios locos, in quibus Alcon Atheniensis aut ut Phaleri pater comparet, veluti apud Hyginum fab. 14⁵⁾ (qui tamen nihil nisi exscripsit Apollonium⁶⁾); aut ut Erechthei quidam nepos

4) De Proxeno, historiarum scriptore, Pyrrho regi, uti suspicatus est Droysenius, aequali, v. „Fragmenta historicor. graec. ed. a. C. Muellero, t. II, Paris. 1848“ p. 461 sqq.; cf. nos in „Arbeiten der kurländischen Gesellschaft für Litt. und Kunst IV,“ S. 113, f.

5) Non expresso nomine idem haud dubie Phaleri pater ap. Valer. Flacc. Argon. I, 398—401, quem locum infra tractabimus. Alcon, Phaleri pater „ἀπ' Αἰθήραιο ῥόων . . , ὃς Γύρτωνος ἀλισταφές ἔκτισεν ἄστν“ (!) Ps. Orph. Argon. 145 sq.

6) Argon I. 95 sqq., ubi haec: τοῖς δ' ἐπὶ Κερκοπήθεν ἀρῆιος ἦλυθε Βούτης . . ἐνμμελής τε Φάληρος. Ἀλκων μιν πρόηκε πατὴρ ἰός (ἰὺς?) οὐ μὲν ἔτ' ἄλλους γήραος υἴας ἔχεν βιόταίό τε κηδεμονῆας κ. τ. λ.

Chalcidis conditor: hoc enim fuisse apud Ephorum in III historiarum libro, quem citat Stephanus Byz. s. v. Ἀθήναι, alio loco patefeci⁷⁾. Quibus locis et aliis eodem pertinentibus inter se comparatis ac diligenter examinatis, uti olim a nobis factum, intelligitur, satis multam fuisse Alconis etiam in patriis Atheniensium historiis memoriam. Quamquam quae plurimum valeant ad firmandam Meinekii de nomine herois sententiam, (quae hujusce disputationis summa), nemodum advertit animum; at sic quoque jure ea consensu ab omnibus vv. dd., qui deinceps ad hunc V. Soph. locum accesserunt, approbata est ac recepta⁸⁾. Itaque et nos fidenter hoc utimur initio ac fundamento disputationis: teste vitae scriptore memoriae proditum erat, Sophoclem poetam tragicum sacerdotio functum esse herois medici, qui Alcon nomine esset appellatus. Quae nostra disputatio quantumvis magnam partem conjectura contineatur, tamen universo ejus tenore id minimum praestitum iri confidimus, ut de nomine illo omnis scrupulus, si quis apud animum residuus fuerit, benevolō lectori eximatur.

Hactenus usus loco, cetera ut obscuriora missa facio in

7) Arb. l. l. p. 114 sq., ibidem p. 93—96 omnem hanc materiam de Alcone priscae Erechthei domo adscripto uberius pertractavi, quae hic retractare supervacaneum duxi.

8) A Franc. Rittero „Didymi Chalcenteri opuscula auctori suo restituta“, Colon. 1845 p. 148, qui Ἀλκωνος in textum recipere non dubitavit; a Westermanno l. l., Gerhardo „archäologische Zeitung n. F.“ nr. 8., ann. 22, Wieselero „Gött. gel. Anzeigen 1848“, p. 1245 sqq., Welckero l. l., all.

praesens, eodem subinde reversurus. Forsitan ad illa quoque expedienda aliquid peracta disquisitione accesserit lucis. Exsistit autem difficultas et in verbis, in quibus utique aliquid ad plenitatem, ne jam dicam ad perspicuitatem, sententiae desideratur, et magis in rebus, incerto, quid sit μετ' Ἀσκληπιοῦ, et, quid παρὰ Χείρωνι, et vero, utri statua dicata esse dicatur, Alconi, an Sophocli. Non dico, quid ipse pro incerto habeam, at diversae de omnibus his sunt prolatae sententiae⁹⁾. Verum ipsa ista loci intricata conditio, siquidem recte ipsi magis scriptori, quam librariis imputatur, argumento esse potest, jam non claram et plenam, ut ita dicam, rei, quam refert, notitiam ad scriptorem pervenisse. Nihil mirum, quum et omnis rerum Sophoclis memoria jam admodum brevi post ipsius aetatem, florentibus quum maxime Alexandriae doctrinae studiis, eatenus fuerit vel oblitterata vel obscurata, ut etiam quae prodita manerent, extra suum nexum posita et proinde ambigua facta pravam interpretationem facile admiserint, variaeque famae jam tunc esset locus. Praeterea credibile est, cultum herois interjecto tempore paulatim in desuetudinem venisse, aut saltem nomen oblivione obrutum fuisse. Demosthenes quidem¹⁰⁾ ubi in mentionem medici herois incidit, cognomento dumtaxat eum denotat, nomen non addit, dicens, πρὸς τῷ τοῦ ἥρωος τοῦ ἰατροῦ (sc. habitasse Aeschinis patrem). Etenim in hujusmodi semideis, quibus certa quaedam vis et rei alicujus, veluti medicinae vel agriculturae, praecipua cura

9) Annotationem ad hunc locum aliquanto spatii concessi modum excedentem ad calcem voluminis rejeci.

10) Orat. de falsa legat. t. II p. 92, ed. ster. ap. Tauchn.

attribuebatur, cognomentum, hoc est vel nomen vim declarans vel appellatio mera, ut ἥρωος ἰατρός, μυσίαγρος, ita fere praevalerat, ut id maxime et religione sanctum et usu receptum esset, de nomine autem proprio, si quod praeterea existeret, haud raro ambigeretur, aliud aliis statuentibus, conjectura magis quam monumentorum fide. Exempla passim sunt obvia, maxime apud Pausaniam; mihi pauca quaedam per saturam proposuisse satis erit ad sententiam illustrandam.

Athenis in portu Phalerico colebatur heros quidam nauticus, vulgo ὁ κατὰ πρύμναν ἥρωος appellatus, quoniam in puppibus navium signum ipsius consecrare solebant navigaturi; hujus quidem fama nullum pertulerat nomen, at ii tamen, quibus, uti ait Pausanias, reconditior quaedam domesticorum sacrorum scientia adesset, affirmabant, hunc esse Androgeum, Minois filium¹¹⁾. Fuere etiam qui opinarentur, heroem alium, agrestem natura, cui quotannis solennia quaedam peragebant Athenienses, Εὐρυγύην (Latifundium?) nomine invocantes, et ipsum esse Androgeum, maturo quondam funere in Attica extinctum¹²⁾. In Laconica Leuctris et Amyclis templa erant deae, cujus nomen solenne erat Alexandra, hoc est arcens hominibus mala, Averrunca (significatu prorsus eodem quo Alcon); eam autem, teste Pausania, ipsi earum civitatum incolae Cassandram esse, Priami filiam, quae et ipsa Alexandra audiebat, confitebantur, jam etiam quae juncta illi colebantur numina, marem Agamemnonem regem, feminam habitu, ut

11) Paus. Att. 1, 4, Clemens Alex. protr. p. 12, schol. Clem. ad l. l. (Clem. opp. ed. Klotz t. IV, p. 108).

12) Hesych. ἐπ' Εὐρυγύην ἀγών (de nomine v. Creuzerum „Symbolik“, 2te Aufl., p. 107.)

videtur, matronae Clytaemnestram esse probabiliter, *κατὰ τὸ εἶκός* quod dici solet, conjectantes, sed id quidem Amyclaei tantum, nam Leuctris nomina Ino et Aesculapius obtinuerant¹³). Rationem investigantibus facile perspicitur, deam per haec loca illo cognomento antiquitus cultam virginem, Dianae similem, eandem, postquam invaluit per Graeciae gentes Homericae poësis auctoritas, Alexandram Trojanam esse credi coeptum, scilicet mortuam in his regionibus ac sepultam, heroumque in numero propter beneficia habitam, mox in deorum relatam. Itaque antiquis quidem ritibus manentibus, integra, ut ita dicam, conjectandi materia, divulgatas tamen de caussis rituum opiniones ac fabulas ita sensim in diversum abiisse intelligimus, ut quae dea primo fuisset et ad iniquiorem heroum conditionem delapsa esset, inverso ordine nata inter mortales existimaretur et ad dignitatem divinam per gradus ascendisse, id quod latissime pertinet in omni Graecorum fabulari historia¹⁴). Denique et variae, ne hoc desi-

13) Paus. Lac. 19, 5 coll. Cor. 16, 5; id. Lac. 26, 3. Alexandram Leuctris ut medicam deam cultam esse, Panofka „Asklepios und die Asklepiaden, Berlin 1846“ p. 14 suspicatur, apteque in comparationem adducit Alexidam Amphiarai filiam, cujus progeniem esse Argivi volebant Elaios quosdam semones, quos morbum sacrum depellere (*ἐλαύνειν*) crederent, auct. Plutarcho quaest. gr. 23, itemque Alexandrem medicam heroem Titane in Sicyonia cultum, cujus deinceps a nobis mentio fiet, Paus. Cor. 23, 4; 11, 6. 7; quibus tertium alio loco (p. 67, cf. p. 39) adjungit Alexandrum, cujus medicam statuam Pariani, Propontidis accolae, in honore habebant (Athenag. leg. pro christ. 23), ejus videlicet Alexandri esse rati, qui vulgo Paris appellatus erat, eponymi sui.

14) Vide Uscholdium „Vorhalle der griechischen Geschichte und Mythologie. Stuttgart und Tübingen 1838“ I, p. 153 sqq., qui hunc locum de vera heroum natura accuratissime omnium exsequutus est, meo quidem iudicio.

deres, de nomine famae contiguum huic sese offert exemplum satis luculentum. In alio Laconicae oppido, Thalamis, dea colebatur, mea quidem sententia eadem prorsus quae Alexandra, sed alio nomine vel cognomento Pasiphaa appellata „*διὰ τὸ πᾶσι φαίνειν τὰ μαντεῖα*“, quod omnibus ederet oracula, per somnia nimirum incubantibus in templo ipsius¹⁵). Hanc, uti refert Plutarchus, alii et ipsam Cassandram volebant esse, alii unam ex Atlantis filiabus, quae ex Jove Ammonem deum¹⁶) genuisset¹⁷), Phylarchus autem Daphnen, Amyclae filiam. Qua de re haud scio an recte sic censeam. Fuerint sacrorum hujus deae ritibus quibusdam symbolicis, quos dicunt, antiquitus prodita ac propagata haec fere: deam virginem esse, dei maris, sive is Jupiter appellaretur, sive Phoebus Apollo, sive, qui eodem templo colebatur, Sol, quondam concubitum aspernatam, arcana tamen fama, natum inde filium, novum deum, sive illa vim passa esset, sive id simili modo evenisset, atque Erichthonius Athenis exortus erat; ad quae denique et illud accedebat, quod communi hominum opinione celebratum erat, fatidicam esse. Ex talibus pro se quisque de nomine heroïnae, nam heroïnam primo fuisse jam nemo dubitabat, conjecturam capere potuit. Etenim temere quenquam ejusmodi in re egisse, haud facile crediderim.

Per haec exempla explicata sententia, quae cujus sit momenti ad nostram quaestionem deinde apparebit, jam in

15) Plutarch. v. Agid. 9, coll. Paus. Lac. 26, 1, Cic. de divin. I. 43, 96.

16) Cf. Paus. I. I. 18, 2.

17) Taygeten dici conjeceris ex Paus. I. I. 18, 7, cf. Apollod. III, 10, 1, Pind. Ol. III, 31 (ed. Bgk.)

viam redimus. Itaque sequioris aetatis hominibus res de Sophoclis apud Alconem sacerdotio, sive ipse cultus obsoleverat, cujus certe apud Pausaniam mentio non est (quanquam nos quidem supparem illi¹⁸) testem producere posse nobis videmur), sive nomen antiquius et verius oblivione obrutum erat, potuit sane illa quidem esse obscurior. Verum enim vero hodieque manent satis multa et luculenta indicia ac vestigia rei, quibus si quis scite et apte fuerit usus possit sperare futurum, ut aliquod lumen inferatur hisce tenebris. Quae sedulo undique conquirere, apte digesta explicare atque illustrare, denique et conjectura explere, nostri erit negotii. Sed bifariam ex ipsa rei natura haec nostra de Sophocle sacerdote Alconis medici herois quaestio dividitur: nimirum inquirendum et in Alconem heroem medicum et in Sophoclem sacerdotem. Ac nobis quidem antiquior et prior pars totius disquisitionis erit de heroe. In qua mihi omnium maxime propositum est, ut et nomen Alconis et facinus quoddam fabulosum, quod ipsi attribuebatur, *συμβολικῶς* congruere medici numinis naturae comprobem, ita tamen, ne simul in caussas paeoniae mythologiae¹⁹) inquirem, sed ut in exemplis me contineam, quibus demonstretur, certarum quarundam my-

18) Pausaniam, qui Hadriano imperante scribere exorsus erat, a. 174 p. C. opus suum nondum ad finem perduxisse constat ex El. I, 1, cf. Reichhardtum in „Realencyclopädie der Alterthumswissenschaft, herausgegeben von Pauly, fortgesetzt von Walz und Teuffel,“ V, p. 1258 (auctore nobis et Boeckhio *ἐν ἀγρᾶφοις*), Lucianum, de quo hoc loco cogitavi, Dodwellus a. 135, alii aut quinque aut quindecim annis prius natum esse statuunt, eundem ad summam senectutem venisse notum est (v. Prellerum in op. cit. IV, p. 1165.)

19) Liceat mihi hoc in loco nonnulla barbata, quo magis posthac liceat latine.

thicarum formarum sententiam fere esse ad medendi effectum pertinentem. Illud olim tentavi in dissertatione germanice scripta, quae nondum tota vidit lucem; hoc ut facerem, scilicet ut inventum meum aliqua adumbratione statuminatum ederem, jam ante lustrum auctor mihi fuerat Eduardus Gerhardus, Vir eximius, in summa gloria doctrinae modestia atque in juniores comitate paene unicus. Posterior pars brevior erit, in qua hoc agendum, ut quae de Sophoclis quadam cum medicorum numinum cultu ipsaque illa sacra antiquiorum medendi arte conjunctione existunt apud scriptores testimonia, collecta illa jam quum ab aliis, tum a Welckero²⁰), additis, quae ipse invenerim et si quid forte ex praecedenti disputatione consecrarium illuc pertinere videatur, apta ex re ratione qualicunque disposita proponantur atque explicentur.

Alconi in Atheniensium fabulis locum suum fuisse, initio monui. Jam vero mythus de Alcone talis est. Praeclarus fuit mirabili quadam arte sagittandi, qui amplexu quondam serpentis implicatum puerum²¹) teli jactu felicissimo ita expediverit periculo, ut serpentem conficeret, puerum ne laederet quidem. Res apud Servium exposita est pedestri narratione et paullo quam apud reliquos accuratius. Qui illum Cretensem fuisse et Herculis quendam comitem ait, neque id equidem temere fictum puto, at impraesens nos morari non debet, quandoquidem Atheniensi ac Phaleri patri id factum assignant plus minus expresse reliqui fere omnes. Nam apud aliquot quoque poetas vel res ornatu poetico ex-

20) Ad Philostr. imag. p. 658 sq.

21) Puerum consulto posui, quem filium ipsius Alconis nostri fontes faciunt omnes.

culta narratur, vel mentio idoneo loco facta deprehenditur, et id quidem ita, ut, multo olim latius patuisse in Graecorum poësi hasce Alconis laudes, cuius facile appareat. Horum omnium locos ordine postquam exhibuero paucaque annotavero, dein quo praedixi modo de re, hoc est de mytho, agam. Itaque Servii ad Virgil. Buc. V, 11 haec sunt:

„Aut Alconis laudes; hic Cretensis sagittarius fuit, comes Herculis, ita peritus, ut ictus ejus non falleretur. Namque positos supra capite hominum anulos trajiciebat, capillos spiculis sagittarum rumpebat, sagittas sine ferro positas ex adverso gladiatorum lancearumve mucronibus findebat. Cujus cum filium draco invasisset, tanta arte direxit sagittam, ut ea currens in serpentis desigeretur vulnere, nec transiret in filium“²²⁾.

Famae de eximia Alconis sagittandi peritia, qua mihi quidem in omni hoc argumento nihil antiquius, praecipuam ducit rationem etiam poëta Manilius Astronomicon V, vv. 304 sqq. Nam de sagittae signo exponens, ut quos eo sidere natos esse consentaneum sit, scilicet artis sagittarum longe principes, recenset Teucrum, Philoctetam, tertiumque, cujus nomen sciens haud dubie reticet, ut notum omnibus, Alconem, de quo haec:

Quin etiam ille pater tali de sidere cretus
Esse potest, qui serpentem super ora cubantem,
Infelix, nati somnumque animamque bibentem
Sustinuit misso petere ac prosternere telo.
Ars erat, esse patrem; vicit natura periculum,

22) Ab hoc mutuati, verbis tantum non iisdem, Mythographi Vaticani (ed. G. H. Bode, Cellis 1834) I, 160 et II, 191 factum referunt.

Et pariter juvenem somnoque ac morte levavit,
Tunc iterum natum et fato per somnia raptum.

Satis apparet, anguem incubantem prorsus ut incubonem repraesentari, unde odoretur aliquis allegorizantis cujusdam fabulae conformationis in his vestigia. Sed pugnare quodammodo videntur cum antecedentibus tres extremi versus, quum nunc patriae caritati tribuantur, quod modo erat artis specimen. Simile quid v. 290 — 92 deprehenditur, et promptum sane suspicari, haec a quadam secunda manu esse profecta. Hoc in transcurso; est enim peculiaris quaestionis, neque hujus loci.

Sequitur Gaetulici incertae aetatis scriptoris, epigramma (Anthol. Pal. VI, 331), quod ab ipso Alcone dedicatum facit auctor:

Παῖδα πατὴρ Ἄλκων ὀλοῶ σφρυγγθέντα δράκοντι
ἀθρήσας, δειλῆ τόξον ἔκαμψε χερσὶ.
Θηρὸς δ' οὐχ ἀφάμαρτε· διὰ στόματος γὰρ οἰστός
ἦϊξεν, τυτθοῦ βασιὸν ὑπερθε βρέφους.
παυσάμενος δὲ φόνου, παρὰ δρυὶ τῆδε φαρέτην
σημα καὶ εὐτυχίης θῆκε καὶ εὐστοχίης.

Atheniensem dici, ut credam, facit ionica dialectus, quippe quum ejusdem scriptoris duo epitaphia exstent, quorum alterum infantibus Medae apud Corinthum, alterum Cretensi homini positum fingitur, dorice utrumque compositum (A. P. VII, 354 et 275).

Novo dein argumento, quam cognita tunc temporis hominibus ac decantata fuerit fabula, Valerius Flaccus loco jam supra laudato eam non ita accurate, ut superiores, enarrat, sed, effectam quandam in Phaleri clypeo imaginem se describere simulans, tanta effectivi artificii scientia vel,

ut hoc dicam, tam effecte id, in quo rei, postquam poësis materia facta est, cardo erat, repraesentat, patrium amorem discrimine filii ad extremae audaciae facinus sollicitatum, ut revera videatur celeberrimum quoddam artis opus, sive tabulam pictam sive ectypon, imitando expressisse. Verba sunt haec:

Insequeris (Buten) casusque tuos expressa, Phalere,
arma geris: patula²³⁾ delapsus ab arbore parvum
Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis.

Stat procul intendens dubium pater anxius arcum.

Hic demum diserte de attico heroë fabula narratur, sed et hinc manifestum, omnem de Alcone narrationem esse de attico. Quo minus nunc dubito apud Virgilium quoque Buc. l. l. in his:

Iacipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri

utique Alconem Atheniensem dici statuere, a quo Cretensem quem Servius dicit segregandum non esse, infra probare conabor. Illud ipsa jam copulatio cum duobus aliis atticis argumentis in promptu ponebat. Et vero pridem dubitabam, an omne hoc triplex argumentum, quod a Mopso cantatum dicitur, ad Euphorionis illud carmen Mopsopia inscriptum referendum esset, quam appellationem a Mopso quodam repetendam esse Stephanus quidem (s. v. *Μόψιον*) auctor est²⁴⁾. Quo nancisceremur aliquanto ceteris antiquiorem fabulae nostrae auctorem. Perinde tamen antiquus auctor fuerit Apollonius, si con-

23) Heinsii conjectura; legitur „vacua“, v. ed. Burm., p. 85. *Mox* expressa nihil aliud quam caelata, cf. v. 402.

24) *Μοψιόν* Strabo IX, p. 397 et 443 C.

cedatur, verbis ipsius supra allatis, quibus singularis quidam Alconis erga filium amor praedicari videatur, subesse facti mentionem²⁵⁾.

Itaque hoc apparuit: quem heroëm remediari malis deputabant homines atque ob id ipsum cultu prosequerentur, eundem aliquando malo obstrictum ipso malo confecto levavisse perhiberi; semonem quendam haberi, qui idem et medicus existimabatur, et armatus, hoc est arquipotens, repraesentabatur. Jam vero aliquot innotuere nobis heroes, quos religio demonstrabat medendi potentes eosdem et armatos, congruenterque fabularis historia et medendi peritos et vero vel sagittandi vel jaculandi arte insignes, ingentesque omnino bellatores²⁶⁾. Tales fere a Chirone centauro educati atque arte utraque, et medendi et venandi h. e. pugnandi, eruditi feruntur²⁷⁾. Sic ipse Aesculapius a patre Apolline in disciplinam traditus erat Chironi: *παρ' Ἰ καὶ τὴν ἰατρικὴν καὶ τὴν κνηγετικὴν τρεφόμενος ἐδιδάχθη*²⁸⁾. Sic Achillem quum cetera tum medicinam apud Chironem didicisse, decantata fa-

25) Denique inter venatores, „qui ad aprum Calydonium ierunt“ loco forsitan non incorrupto apud Hyginum f. 173 post Aesculapium et Jasonem nominatur „Alcon Martis, Thracia.“

26) „Jagd- und Heilgottheiten in einer Person“, quos in veterum religionum vestigiis artisque monumentis commonstravit Pannotka: „die Heilgötter der Griechen, Berlin 1845“ p. 17 sq. (cf. id. „Asklepios etc.“ p. 40).

27) De Chirone discipulisque ejus adeas Uschold. op. c. I, p. 203 sq.

28) Apollod. bibl. III, 10, 3, v. et Pind. Pyth. III, 45, Pherecyd. ap. schol. ad. h. l., Xenophon Cyn. 1, 2, Ovid. Met. II, 630, cf. Pind. Nem. III, 55, schol. Il. XI, 613, Phurnut. nat. deor. 33 p. 205 ed. Osann., Philostr. Her. 9, all.

bula; atqui idem etiam colebatur ut sanitatis dator a Ponti accolis, Milesiorum colonis²⁹⁾, et haud dubie ab ipsis quoque Milesiis³⁰⁾. Chironis donum „Φόνον ἔμμεναι ἀνθρώποισι“ fuerat hasta (πηλιάς μελή)³¹⁾, qua tot hominum catervas profligaverat ille vere quidam humani generis vastator, quem faciebat Cyprii carminis poeta. Ast eadem tamen Chironia hasta alias diserte dicitur medica³²⁾, ac nimirum medicam vim praestiterat in Telephi illo vulnere sanando. Nam hasta mederi, Achillis est: et quemadmodum olim ad vivum Telephus, sic iterum ad divum Leuces potentem oraculo mittitur vulneratus a vulnifico opem medicam petiturus³³⁾. De Achille hactenus; et alios plures commemorare possem. Sic, verbi causa, Hippolytum, qui et ipse Chironis discipulus, venatorem atque jaculatorem fama praedicat, ars celebrat: idem Troezeniis medici dei fuit loco³⁴⁾. Sed et Alconem a Chirone educatum fuisse, loci V. Soph. sententia esse videtur (v. annot. 9). Et vero prorsus similia, ac de Alcone, de ipso quoque Chirone narrantur. Quae in fabularum farragine, nu-

29) Cf. quae attoli in „arch. Zeit. n. F.“ 1847 nr. 7, quibus adde inscr. in vicinia Olbiae veteris nuper repertam Bull. de la classe hist. phil. de l'Acad. de St. Petersb. T. III, N. 70, p. 352, nr. 2057 f. Sed Brasiis quoque ejusdemmodi cultum fuisse, Pausaniae loco (Lac. 20, 8) denuo inspecto, Panofkio (Heilg. p. 16) non amplius possum concedere. — Achillea herba, sistens profluvium sanguinis, Plin. XXVI, 82.

30) Apud quos fons medicatus fuit Achilli sacer, auct. Aristobulo ap. Athen. deipnos. II, p. 43.

31) Homer. II. XVI, 143 sq., XIX, 390.

32) Hygin. fab. 101.

33) Hermias in Platon. Phaedr. 19.

34) Paus. Cor. 32, cf. Panofka, p. 17.

per a Majo detecta, adhuc delitescencia sedulo in lucem protraxi, lucis et ipsa aliquantulum, spero, meae disputationi allatura. „Quum Chironis filius juxta mare transiret, quendam cancrum immensae magnitudinis pede calcavit, qui eum miserabiliter laesit; et conversus Chiron sagittis cancrum percussit, filiumque expedit³⁵⁾.“ „Quum Chiron cum filio suo per silvas transiret, scorpio immensae magnitudinis filium ejus paene deglutivit. Chiron optimus sagittator scorpionem percussit et filium liberavit, et sic scorpio translatus est in coelum³⁶⁾.“

Ergo jam, puto, clarescit, non absque ratione intercedente juncta fere comparere in hoc genere heroum vel semonum medendi potentiam ac tela. Videlicet ideo tela gerunt, ut mala impugnent; ipsius medendi potentiae eorum hoc est, quod telis immanes ac noxias belluas perimunt; eo medici sunt, quod telis feriunt, feretrii quidam medici, παιᾶνες κακῶν.

Causas investigare medicatorii, qui divinitus esse putabatur, effectus, quem jam apposito ad rei rationem vocabulo signavimus feretrium, prorsus alienum esse a proposito meo praedixi. Sed ipsa res quae sit, paucis declarare conabor.

Omnis medicatorii effectus auctor et fons est deus arquipotens, Phoebus Apollo, Aesculapii, medicorum dei, genitor. Qui telis suis usque feriens (ἀεὶ βάλλον, παίων) late perdit ac perimit (ἀπολλύει) tum pestilentias vel omne genus malorum, tum vero et ipsos homines, utroqueversum nomine

35) Myth. Vat. III, 15, 4; addit, cancrum deinde inter astra collocatum, quod idem de Lernaeco cancro, ab Hercule perempto, Hygin. Poët. Astr. II, 23, cf. Colum. X 313.

36) Myth. Vat. III 15, 8.

justo et solenni ὁ Παίων (Παιήων, Παιαίον) invocatus, h. e. Feretrius. Itaque deus Feretrius idem et animantes feriendo (παίων αὐτὰ τὰ ζῶα) mala gignit, omnis publicae luis auctor existit, et rursus mala feriendo (παίων τὰ κακὰ) salutem gignit, omnis publicae sospitatis auctor est³⁷). Omnis malorum medela mortalibus a salutiferis Feretrii telis est: hic fons et quasi fundamentum totius Graecorum medicinalis, ut ita dicam, mythologiae, lateque idem ad omnem etiam artis medicae rationem pertinuit. Eo videlicet salus conscisci putatur, quod malum tanquam vis quaedam extrinsecus illata, veluti aliquod monstrum, impugnatur, propulsatur, exterminatur. Sed haec quidem ἀλκή (propulsatio) est, quam Graeci dicunt, vocabulo haud secus ad ipsum prorsus medendi effectum pertinente³⁸), atque quidquid a παίειν vel παίων, Apol-

37) Annotationem, in qua apparatus quaestionis de Apolline Feretrio digessi, ut nimio longiorem ad calcem hujus libri conjeci.

38) ἀλκή a verbo ἄλκειν, arcere, (unde ἀλαλκεῖν, et nomen Ἄλκων, usitatioe verbi forma ἀλέξειν) est aut actio arcendi, propulsatio, ac vel maxime propulsatio mali, morbi, aut robur ad arcendum: v. c. Herod. III 110 *θηρία ἐς ἀλκὴν ἄλκιμα*, Nic. Ther. 588 *θανάτου φύξιν τε καὶ ἀλκὴν*, Soph. O. T. 184 *ων ὑπὲρ εὐῶπα πέμφον ἀλκῶν* (sc. λοιμοῦ), cf. ib. 213. Similiter et cetera vocabula ab hac radice ducta ad medicinam referuntur: ἀλαλκεῖν . . νοῦσον Nic. Alexiph. 72, *κακὴν δ' ἀπὸ νοῦσον ἀλαλκεν Ἰαπετιονίδη* (sc. Hercules, v. ann. 40) Hes. Theog. 527, *ἄλ. χρὸν γῆρας* Apoll. Arg. IV 872, *ἀλέξασθαι* Nic. Alex. 459; *ἄλκαρ* (hymn. in Ap. P. 15), *ἀλκτῆρια* (Nic. Ther. 528, Al. 350), *ἀλέξημα* (Aesch. Prom. 487—92), *ἀλέξια* (Nic. Al. 4, Th. 805), *ἀλεξήτρια* (Nic. Ther. 7, 100, 714, 934, Poll. IV, 179), *ἀλεξιφόρμακα* (v. Plat. Polit. p. 280) remedia; *ἀλκίβιον* remedium ad morsum serpentis Nic. Ther. 541, 666, Plin. XXVII 22 all., *ἀλκία* herba medica Orph. Arg. 925, Plin. XXVII 6. Omnis remedii ea ratio est, quam Nicander Ther. 2 dicit „*λύσιν ἐπεραλκία κήδους*.“

linis cognomento, derivatum est. Ergo si qui divorum haud ambigue malorum feretrii, *κακῶν παιᾶνες*, esse, mala impugnare atque arcere existimantur, ii *ἀλεξίκακοι* fere vel quovis alio nomine indidem ducto *ἀλκτῆρες*, *ἀλκεῖδαι*³⁹), *ἄλκωνες* appellantur. Et Apollo quidem, quatenus mala ferit, *ἀλεξίκακος* est, et sic est appellatus. Verum praecipue totusque sua natura *ἀλεξίκακος* et *ἀρῆς ἀλκτῆρ* et est et cognominatur is, cui etiam proprium ac suum nomen primo fuisse Ἄλκαῖος (sc. *ἀλκῆς ἐπώνυμον*) constans est fama, Hercules, humani generis sospitator arquipotens⁴⁰).

39) Hesychio auctore apud Lacedaemonios colebantur quidam Ἄλκεῖδαι θεοὶ h. e. ἀλεξίκακοι, iidem, ut videtur, qui al. ab eo dicuntur Δριώδονες θεοὶ (a δριῖς robur). Cf. Lobeck Aglaoph. p. 1234.

40) Non hic locus est accuratius exsequendi, quae delineavi. Quod ad Herculis naturam et mythologiae de Hercule rationem attinet, sufficiat, ut nunc est, revocasse ad praestantissimam Buttmanni disputationem (Mythologus I, S. 246—72), ejus summa versatur in explicanda sententia Hesiodi scut. Herc. 27—29, dicentis, id consilii Jovi fuisse in procreando Hercule, ὄφρα θεοῖσι ἀνδράσι τ' ἀλφηστῆσιν ἀρῆς ἀλκτῆρα φυτεύσαι (Alexiars filius Herculis, Apollod. II, 1, 7). Nominum Ἄλκαῖος (Diod. I 24 all., cf. Mueller Dorer I, p. 434) et Ἀλκείδης (ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, cf. Myth. Vat. II 149, 150, III 13, 1 et Suid.) rationem recte perspexit Creuzerus op. c. II p. 245. Sequioris aetatis physici theologi sane habebant, cur Herculem nihil aliud nisi potentiam (δύναμιν) et arcendi vim (ἀλκὴν) esse autumarent, quippe qui viderent, ab omnibus, quibus auxilio opus esset, Herculis numen invocari, cognominibusque Ἀλεξίκακος, Ἀποτρόπαιος, Σωτήρ, Defensor sim. per omnem terrarum orbem celebrari: v. locus ap. Lobeck. Aglaoph. p. 1172. Herculeum paeana memorat Stat. Theb. IV 157: talis hymni specimen insigne praebet Ps. Orph. XII, cujus vv. 12—15 allatos v. in ann. 37. Hercules paeoniis cognomentis cultus κοροπιῶν Diod. IV 22, *μνίαγρος* Paus. Arc. 26, 4. Hercules praecipue (ἐν τοῖς πρώτοις) cognomento Ἀλεξίκακος insignitus: Aristid. or. de Herc. t. I p. 34 Jebb, schol. Arist. nub. 1371, in pac. 422, cf. schol. Apoll. Rh. I 1213, Luc. Alex. 4. Hercules

Cujus fidem quum in omni fere periculo invocare soliti sint homines, tum etiam contra morbos ac pestilentias eundem auxiliari creditum est. Jam vero magni Alcidae ad exemplar

Ἄλεξιπαιος nomine ut pestilentiae propulsator cultus Athenis: schol. Arist. ran. 504 (ἡ γὰρ Μελίτη δῆμος τῆς Ἀττικῆς . . ἐν Μελίτῃ ἐστὶν ἐπιφανέστατον Ἡρακλέους ἱερὸν ἄλεξιπαιον · τὸ δὲ τοῦ Ἡρακλέους ἄγαλμα ἔργον Ἀγελάδου τοῦ Ἀργείου τοῦ διδασκάλου Φειδίου · ἡ δὲ ἴδρυσις ἐγένετο κατὰ τὸν μέγαν λοιμὸν · ὅθεν καὶ ἐπαύσατο ἡ νόσος, πολλῶν ἀνθρώπων ἀπολλυμένων), Hesych. ἐκ Μελίτης, Zenob. V 22, Tzetz. chil. VIII 192; apud Coos Ἄλεξις cogn., Aristid. l. l., potestate haud dubie eadem, utpote oraculi jussu constitutus, id quod per pestilentiae tempora fieri solebat, Coorumque Asclepiadis gentis suae originem haud secus ad Herculem, atque ad ipsum Aesculapium, referentibus (Hippocr. epist. III p. 771, 847 al., Soranus v. Hippocr. 1, schol. Vill. ad Il. XIV 255, Tzetz. chil. VII 155); Hercules Ἄλεξιπαιος s. Ἀποτρόπαιος Ephesi constitutus ab Apollonio Tyanensi, quum saevientem tunc Pestilentiam deformis mendici specie indutam ipsam lapidibus obrutam exstinxisset, illius scilicet dei auspiciis, Philostr. v. Apoll. IV 10, VIII 7, 7 (sed, ipsius Apollonii simulacrum sub Herculis Alexicaci nomine adorari, auctor Lactantius inst. div. V 3). De Hercule medendi potente v. Plut. Amator. t. IX, p. 52. R. all., Buttmann. op. c. 1, p. 259: eo nomine cultus Olympiae una cum semonibus, quorum potestatem medicam nomina declarant, Paeonaeo, Jaso, Acesida, Epimede, Paus. El. I 7, 4; 14, 5, qua de re v. Lob. op. c. 1169 sqq., et cf. Diod. V 64, Paus. Arc. 31, 1; item Hyetti in agro Orchomeniorum, Paus. Boeot. 24, 3; Romae Hercules Victor (sc. aerumnarum) ut sanitatis dator, Laur. Lyd. de mens. IV 46, Liv. V 13, item Romae cogn. Somnialis (h. e. medicus), v. Salmas. op. c. p. 38 D. Aquae salubritatis medicae, inprimis calidae, Herculi sacrae: v. Aristid. l. l. p. 35, Athen. XII, p. 512, et locorum copiam ap. K. Sprengel op. c. I, p. 179, Movers Religion der Phoenicier p. 442, Metzger in Realencyclopädie etc. III, p. 1174, Jahn archäolog. Beiträge p. 62, nr. 34. Locis salubritate insignibus (Oenom. ap. Eus. praep. evang. V 22), item herbis medicatis ab Hercule cognomina (Nic. Ther. 627, Theophr. hist. plant. IX 12, Plin. XXV 15, 8, ib. 11, 4; alia herba Apollinaris dicta, sed ab Hercule demonstrata, Plin. XXV 17, XXVI 87).

efficti, ex eadem materia, hoc est ex eadem hominum animis impressa specie armati sospitatoris, telis immanes belluas perimentis, procreati sunt omnes illi salutiferi heroes, quos aliis aliae sub nominibus adorabant Graeciae gentes, quosque simplicissimo et accommodatissimo ipsorum naturae vocabulo feretrios et Alcones omnes dixeris. Et talibus quidem nominibus, ita mihi persuasi, etiam omnes ac singulos appellatos inveniremus, si sacra eorum sincera atque integra, neque poetarum commentis et Homericæ quam dicunt poësis per Graeciae populos auctoritate paullatim prorsus immutata posteriori aetati fuissent propagata⁴¹). Nam sic quoque luculentissimum nobis exemplum per Pausaniam, priscarum religionum investigatorem, innotuit, tota familia heroum, quorum omnium quum natura ac virtus tota fuerit medica, tum ita medicam, uti nos demonstravimus, fuisse, nomina bellicum aliquod ac prorsus παιώνιον sonantia declarant. Aesculapii progeniem dico, cultos in Messeniorum Lacedaemoniorumque confiniis Machaonem Gereniae (Paus. Mess. 3, 6; Lac. 27, 7)⁴²), filiosque ipsius Nicomachum ac Gorgasum⁴³) Pharis (Paus. Mess. 30, 2;

41) Tales fere singularum gentium vel civitatum religiones coaluerunt paullatim in communem universae Graeciae Herculis Thebani cultum. Exemplo est, quod Athenis factum esse traditum accepimus: ibi enim quae primitus fuerant Jonici Herculis, hoc est Thesei, sacra postmodo pleraque translata fuere ad Herculem proprie dictum, hoc est Doricum vel Thebanum; v. Philochor. ap. Plut. Thes. 35, Eur. Herc. fur. 1326 sqq., Aristid. t. I, p. 58 sq. Ddf, Bergk in ephem. Halens. litt. 1847, nr. 286, p. 1130 sqq.

42) Machao propugnantis habitu in nummis argenteis Triccae Thessalorum (Il. II 729): Mionnet Suppl. III, 270, p. 309, Jahn archaeol. Aufs. th. I, nr. 3, Panofka th. VII, nr. 11, quem v. p. 63.

43) Gorgasi nominis ratio praecipue repetenda a cruore Gorgonis, vere paeonio medicamento (v. Eur. Jon. 1017 sqq., Apollod. III, 10, 3).

3, 6), et eos, qui haud secus cultoribus suis pro Machaonis filiis conditoribusque celeberrimorum sanorum Aesculapii fuere, communibus cum Deo uterque sacris cultus, **Alexanor**, **Alconi** prorsus cognominis⁴⁴), **Titane**, **Sicyoniae** oppido (Paus. Cor. 11, 6. 7), **Sphyrus** („Acisculus“⁴⁵) **Argis** (Paus. l. l. 23, 4), **Polemocraten** denique, quem et ipsum **Alexanoris** fratrem, **Machaonis** filium et in medici herois honore habitum fuisse **Euae** in regione **Thyreatide** accepimus (Paus. l. l. 38, 6). **Commemoranda** dumtaxat nomina duxi: de ceteris ad **Panofkium** revoco **V. Cl.**, qui in commentatione de **Aesculapio** et **Asclepiadis** (p. 59—74) hanc materiam uberior tractavit atque artis monumentis illustravit sane probabi-

44) Cf. quae praecepi in ann. 13. **Divos**, quibus conjunctis templo eodem apud **Titanios** honor fuit, **Aesculapium**, **Hygeam**, et gemellos **Euamerionem** deum, **Alexanorem** heroem, repraesentatos omnes in ectypis tabulae votivae marmoreae, quae nunc **Romae** in **Vaticano** asservatur (Visconti mus. Piolem. V, tv. XXVII, Panofka th. V, nr. 1), demonstravit **Lebas. monum. de Morée** p. 117.

45) **Sphyrum** denominatum a malleolo vel acisculo, quem manu gesserit, vidit **Panofka**. Quomodo autem malleolus pro insigni semonis medici esse potuerit, egregie illustravit idem vir adhibita fabella, quae legitur in **Plut. parall. min. c. 36**, haud mediocre momentum etiam nostrae disputationi accessura: „**Faleriis** grassante pestilentia, oraculo indicatum est, levationem fore mali, si quotannis **Junoni** piaculum hostiam offerrent virginem. Ea superstitione quum perduraret, sorte lecta **Valeria Luperca**, strictum ab ea gladium rapuit aquila, depositaque in altaribus virgula, cui exiguus erat praefixus malleus (κατ' ἐπὶ τῶν ἐμπύρων ἔθηκε βράβδον μικρὰν ἔχουσαν σφύραν), gladium injecit juvencae propter templum pascenti. Mentem divinam assequuta virgo, juvenca mactata, arrepto malleo secundum domos circumvixit, lenibusque ictibus excitavit aegrotantes, valere unicuique dicens. Atque hinc est, quod illa arcana in hunc usque diem peraguntur. Auctor **Aristides XIX libro Italicorum**.“ **Plura** v. ap. **Panofka** p. 67 sqq.

liter. Verum quum jam eam esse vim nominum in medicinali mythologia disputatione nostra patefactum sit, hoc etiam non ab re erit in transcurso monuisse, quod eandem rationem saepe etiam historici, quod dicunt, aevi medicorum nomina sequuta sunt, nimirum eorum praesertim, qui ex gente **Asclepiadum** essent artemque exercerent a majoribus acceptam. **Exempli** causa paucos nominabo: **Eryximachum** (**Plat. Symp.** p. 187), **Nicomachum**⁴⁶), **Nician**⁴⁷), **Damnaeum** (**Domitium** latine diceret), **Nicandri**, poetae medici, patrem⁴⁸), **Alcibium**⁴⁹), cognominesque heroi nostro duo, ut videtur, vulnerum medicos, quorum alter **Claudio** imperante arte haud secus atque avaritia notabilis fuit⁵⁰), alter a **Martiale**⁵¹) ut eruditus quidam **carnifex** inducitur⁵²).

46) **Nicomachus**, **Aristotelis** pater, ex **Asclepiadum** gentis familia originem suam a **Nicomacho**, **Machaonis** filio, repetente, **Suid. s. v.**

47) **Nician** **Milesium**, ad quem **Theocr. id. 11** et **28**, cf. **arg. id. 11** et **epigr. 7**.

48) v. *γέν. Νικάνδρου* (vitt. scr. ed. West. p. 62).

49) **schol. Nic. Ther. 544**.

50) **Plin. XXIX, 7**: notum est... **Alconti** vulnerum medico **HS centies centum millia** damnato ademisit **Claudium** principem.

51) **XI 84, 5 sq.**: **Mitior** implicitas **Alcon** secat enterocelas, fractaque **fabrili** dedolat ossa manu.

52) **Alia** medicorum auspicata nomina sunt v. c. **Acesias** (**Zenob. I, 52**), **Acumenus** (**Plat. Phaedr. p. 268**, **Xen. Mem. III, 13, 2**), **Acesimbrotus** (**Plat. Crat. p. 394**), **Acesilaus** (**Alciph. epist. III, 7**), **Acestorides**, **Acestinus** (v. **lxxx.**), **Pausanias** (**Gelous**, ex gente **Asclep.**: **Empedocl. ep. A. P. VII 508** **Παυσ. ἠηρόν ἐπάνυμον**, cf. **Jacobs** ad h. l.), **Lysanias** et filius ejus **Archagathus** (**Plin. XXIX 6**: **Arch.** nomen perinde est ac **Telesphori** vel **Euamerionis**, semonum medicorum, **Paus. Cor. 11, 7**, **Pan. p. 27 sq.**), **Ablabius** (**Anth. VII, 559**), **Ophelio** (**Plin. elench. l. XX**).

Ut paucis comprehendam expositionis hujusce summam: est Apollo, deus Feretrius, Παιάν, ambigua mente et mali et salutis auctor; sunt, quorum agmen ducit magnus Alcides, heroes Feretrii, Herculei omnes, hoc est Apollines κακῶν παιᾶνες. Quaerat quispiam, quis jam sit Aesculapio locus? Verbo significasse satis sit: non est salutis auctor et fons Feretrio natus, ipsa est illa per victricia Feretrii tela acquisita et quasi expugnata salus, salutis distributor ac dispensator, vere medicinae deus. Haec est, quam ego mihi delineandam proposui, medicae Graecorum mythologiae ratio: uberius haec explicare accuratiusque exsequi, alius erit loci.

Quod autem attinet ad praesentem quaestionem, jam ego innitens his, quae de illa ratione diserte exposui, testimoniisque eodem pertinentibus, quae attuli vel indicavi, non dubito pro certis exploratisque habere haec:

Fuit Alcon, qui Athenis in medici numinis honore ac loco habitus est, natura sua heros Feretrius, arquipotens, ex Herculis Alexiaci, qui apud Athenienses celeberrimo templo ut validissimus pestilentiae propulsator colebatur, specie quasi expressus, cum Aesculapio autem eadem fere ratione conjunctus, qua cognominis Alexanor apud Titanios.

Hactenus conjectura valet ex iis, quae de Alcone nominatim prodita habemus. Exstant tamen, uti jampridem significavimus, vestigia, quae persequendo ulterius progredi possit conjectura. Qua via quum haec, quae jam cognita habemus, magis confirmari nec non amplificari, tum tempus, quo heros medicus publice coli coeptus sit, probabiliter finiri posse confido.

Quodsi recordamur, quam in exordio disputationis attigimus, nominum in religionibus heroum rationem, quodque jam apud Demosthenem herois medici non addito nomine mentio est, non erit, quod miremur, perdurante usque herois medici arquiteantis cultu nomen, quod primo usu receptum fuerat, progrediente tempore in oblivionem adductum. Itaque quum apud Lucianum testimonium exstet⁵³), cultum herois medici a temporibus magnae pestilentiae permanere Athenis, monumentumque ejus ostentari haud procul a dipylo situm ad sinistram in academiam euntibus, tumulum cum cippo, in quo effigies herois arcum intentum manu tenentis, vix jam erit dubitationi locus, quin hic sit idem ille arquiteans, cujus sacerdos quondam fuerat Sophocles. Et hoc quidem certissimum erit, si comprobaverimus, ea, quae adduntur apud Lucianum et repugnare quodammodo videntur, opinionum esse commenta, quibus quidem veriora quaedam videantur subesse, explosis falsis enucleanda; illa autem veriora vel probabiliora jam neutiquam pugnare cum proposita sententia.

Nihil in narratione Luciani aeque est fide dignum, atque quae de ipso cultu, de ritibus sacris, de monumenti conditione refert, nimirum quae vidit ipse. Itaque, auctore et hactenus teste Luciano, heros ille solenni nomine, si lectio vera, Ζῆνος Ἱατρός, Hospes Medicus, invocabatur, existimabaturque, nam et hoc dicit noster, unus esse ex Asclepiadis.

53) Lucianus Scythia 1—3. Totum locum adscribendum duxi, adjecta lectionis varietate (sec. edit. Jacobitzii) adpersisque meis annotationibus nonnullis. Sed, quo minus me festinantem moretur typhotheta, latine exhibere malui verba Luciani, ad Gesnerianam fere versionem expressa. [Verum hanc quoque annotationem ut longiorem ad calcem voluminis rejeci].

Atqui heroes medicos, qui Aesculapii progenies esse dicerentur, jam vidimus Alconi simillimos, talibus autem heroibus Athenis quoque in Aesculapii fano honorem fuisse, auctor est Pausanias (Att. 21, 7). Quod vero pro hospite ille Atheniensibus fuisse dicitur: etiam Aesculapium atque Herculem, quum summa Athenienses religione observarent, hospites esse ac peregrinos, non communi modo Graecorum opinioni famaeque concedebatur, sed ipsa id usque religio certorum rituum memoria custodiebat ac retinebat⁵⁴).

Excutienti Lucianeam narrationem ordine quidem, non fide, proximum, quod tradit, pestilentia sub initium Peloponnesiaci belli grassante huic heroi honores publice decretos esse, quod remedia mali patefecisset, cujus beneficii mercedem adhuc persolvi, equum album in monumento ejus, stato videlicet sacrificio, immolari. Non equidem et hoc de origine cultus testimonii instar accipio⁵⁵), at neque res est improbabilis, sic praesertim, uti a me proposita est figmentis nudata,

54) De Aesculapio insp. Paus. Cor. 26, 7, Philostr. Apoll. IV, 18, de Hercule schol. Arist. Plut. 845, 1013, in ran. 501, Tzetz. ad Lyc. 1327 p. 1006 Muell., de utroque Hippocr. epist. l. l. p. 829, 771, 777, all.

55) Dubito tamen, an et haec quae de tempore et causa instituti cultus tradit prorsus ad instar testimonii habenda sint, testimonii nimirum de fama pervagata ac forsitan antiqua. Etenim cum ironia videlicet quadam loquitur: quid aliud perstringens nisi opinionem vulgi? Hoc enim dicit, si recte verba ejus interpretor: quod a vino large per plateas, jubente quippe herois spectro, effuso pestiferi vapores paulatim diluti fuerint, id quidem naturalis effectus esse videri, at neque se morari, quin quid amplius scisse ille utpote heros ac medendi potens existimetur. Et rursus infra: neque fidem scilicet denegandam rumori, nonnullos jam (ἕδη τινὰς) febris laborantes sanationis compotes factos esse ab illo, quippe a quo tota quondam urbs febris jactata fuerit persanata.

et magnum, si sit vera, accesserit disquisitioni nostrae incrementum. Etenim nemo non vidit, quam consentaneum fuerit et sua ratione probatum, eo potissimum tempore Alconis etiam cultum institutum putare, quo, uti vel ex locis a nobis collectis et allatis intelligi potuit, quam maxime vigebat penitusque mentibus insederat illa feretriae medicinae notio, invalescente per id tempus naturalium caussarum investigatione forsitan informata, mox pestilentiae malis ad novas superstitiones sollicitata⁵⁶). Tunc nimirum Athenis Apollinis Alexiaci, tunc ibidem Herculis Alexiaci sacra induci, similesque passim per Graecias repente exoriri religiones vidimus (cf. ann. 37 et 40).

Considerandum est etiam, ecquam ex natura sacrificii, quod quidem suo adhuc tempore fieri Lucianus testatur, conjecturam facere possimus. Nimirum satis constat inter eos, qui amplius inquisivere in deorum naturam, non parum referre, quae quibus divis assignentur hostiae. Jam quum omnis heroum honos, utpote sepulcris inhaerens, interiore ratione nihil aliud sit, nisi manium religio, hoc est inferorum sive terrenorum numinum cultus⁵⁷), offendat aliquis in clari coloris hostia⁵⁸), qua huic heroi parentari videmus⁵⁹). At

56) Cf. Thuc. II, 47 ex.

57) Cf. Preller „Demeter und Persephone“ p. 227 et in Realencycl. III, p. 1263 sqq., Hermann op. c. §. 16 et qui ibi laudantur, add. Lobeck op. c. p. 412, ann. [b].

58) Nam hostiis atris (furvis, pullis) sacrificare inferis, solenne erat: cf. Mueller Eumen. p. 114, Hermann §. 26, n. 23, Scheiffele in Realencycl. VI, p. 673.

59) Sane etiam Leuctridum Virginum, quarum alterutri nomen erat Hippo vel sec. alios Euxippe, in tumulo equam albam mactatam esse proditum habemus ap. Plut. Pelop. 22, narr. amat. 3. At

iis certe heroum, qui heroum quidem in numero vulgo habebantur sepultique alicubi (vel plurifariam) terrarum putabantur, quorum tamen natura vere ac proprie esset divina, etiam hostiae fere sacratae fuere eadem, quae generis ejusdem diis⁶⁰). Talis vero heros est Diomedes⁶¹), cui jam et ipsi equi albi sunt immolati⁶²) ut numini cuidam Mavortio et feretrio, hoc est debellatori malorum vel monstrorum a Marte immissorum⁶³). Nam et Mars deus totus erat feretrius, quanquam in deteriora paullo promptior, prorsusque ille, si anteriorem rationem dispicias, Apollini similis, et idem equis quum alioqui praecipue gaudere, tum immolatis piaculi causa placari existimabatur, ritu quidem Itolorum, apud quos vigebat Martis religio, rarior inter Graecos⁶⁴). Jam est etiam

etiam mihi, ex Diod. XV, 54 conjectanti, quae de illis historia narratur, apud Plutarch. quidem in Milesiae fabulae modum adornata, mythica potius esse videtur, atque ex antiquissima deorum religione orta.

60) Cf. Uschold. op. c. I, p. 165.

61) De divina Diomedis natura indicia exstant etiam apud veteres scriptores, Pind. Nem. X, 7, Bacchylid. fr. 48 ed. Neue, Apollod. III, 6, 8, schol. Pind. l. l., schol. Hor. carm. I, 6, 15, all., v. Clausen op. c. p. 1202 sqq., et cf. Creuzer op. c. III, p. 39, Welcker ap. Dissen expl. Pind. ad l. l., Uschold. l. l. p. 155.

62) Strabo V, p. 215.

63) Clausen p. 1205, cf. et. att. Pallad. p. 51.

64) De Marte orientalium religionum v. Movers op. c. 363 sqq., 393 sqq., 400, 658 (idem qui Hercules ib. 187 sqq., 326). De Marte Itolorum v. Creuzer op. c. II, 980 sqq., Corssen orig. poes. rom. p. 27 sqq., Schwenck op. c. II, 82 sqq.: Mars „sec. pontificalem ritum idem, qui Hercules“ Serv. ad. Aen. VIII, 275, Macr. III, 12, cf. Plin. II, 6, Corssen l. l. 19; M. invocatur, ut avertat mala, quorum auctor est, morbos ac frugum sterilitatem, in

alius Diomedes, Martis filius, in Thracia, Martis terra⁶⁵), quondam regnans, qui immanes quosdam equos humanis carnibus aluisse perhibetur, donec ab Hercule interemptus sit ipse

carm. frat. arv. („neve luerve Marmar sers incurrere in pleores“ etc., Marini „atti de fr. arv.“ tv. XLI et p. 600 sqq.); M. averruncandae ejus irae victima caeditur equus, bigarum victricium dexterior, Fest. s. v. October equus, Plut. qu. rom. 97, cf. Schwenck p. 95 sq. — Etiam in religionibus Graeciae comparet Mars naturae virium potens (v. c. Mars Ἀφνειός, quasi Abundantius, in finibus Tegeatarum, monte Cresio cultus, Paus. Arc. 44, 6) ac feretrius, intentior dumtaxat in caedem perniciemque hominum (non amplius idem, qui Hercules, immo ab Alcide impugnatus, Hes. scut. 359 sqq., 425 sqq., Ap. II, 4, 11, sicuti a Diomede sec. Homerum): Martis sidus, igneum vocitatum (ipse deus ignifer), omnis malorum generis, etiam pestilentiae, causa, v. locos ap. Musgraviium ad Soph. O. T. 27, cf. quae attuli in Arb. l. l. p. 118 (Θηρειάς cognominatus perinde atque Apollo Ἀγγεός, Paus. Lac. 19, 8, item ut Ap. (ann. 37) morbi sacri auctor, Hippocr. de morbo sacro 2). Verumtamen aliquando auxilium petitur ab eo tanquam a percussore benevolo, opitulatore mortalium, veluti in hymno Hom. in Martem. Acquiesco denique in Sophocleis exemplis: Mars pestilentiae auctor Oed. T. l. l. (ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς σκήψας ἐλαύνει, λοιμὸς ἔχιδιστος, πόλιν) et 185 sq. (Ἀρεά τε τὸν μαλερόν, ὃς νῦν ἄχαλκος ἀσπίδων φλέγει με κ. τ. λ.); Mars calamitatis, qua Ajacem affecerat, idem rursus depulsor: Ajax 687 (cf. Wunder ad h. l., et quod Libanius t. II, p. 82 R. confitetur, se caecitatem evasisse reconciliatum Marti), etiam belli sedator: Trach. 644. — Non praetermittendum, quod equi Marti immolantur etiam apud Scythas Her. IV, 62. Ceterum non praeterit me, quod equi Martis sunt ut solaris effectus potentis. Soli quidem equis rem divinam facere, moris esse constat gentium plerarumque omnium, v. Rhodiorum Fest. l. l., Lacedaemoniorum (in monte Taleto) Paus. Lac. 20, 5, Massagetarum Herod. I, 216, Persarum Paus. l. l., Aethiopum, Palaestinarum, alior. (v. D. Clausen de theol. gent. III, 4), adde hodiernorum etiam Tzeremissorum et Tzuassorum (v. Haxthauseu Stud. über Russland I, p. 463).

65) Martis ap. Graecos cultus originem a Thracibus esse, post alios demonstravit nuperrime H. D. Mueller „Ares“ p. 86—89.

cum equis (Apollod. II, 5, 8, Diod. IV, 15, Hyg. fab. 30)⁶⁶. Habemus igitur, ut breviter comprehendam, Martem deum Feretrium, qui equis gaudet equisque placatur, et vero duo heroes Mavortios, dispares gemellos, alterum feretrium benignum, Martis impugnatorem, cui equi immolantur, alterum feretrium malignum, ab Hercule impugnatum, noxios equos alentem. Haec qui reputaverit, non poterit non memoria repetere, quod de Alcone etiam fama fuit (ann. 25), Martis filium esse, Thracia oriundum. Verum etiam producere haec lineamenta possumus conjectando. Dubito enim, an alterutri istorum gemellorum pro Diomede substitui possit aliud nomen propius ad Alconem accedens. Nam Diomedes Thrax Martis h. e. Feretrii filius est et Cyrenes, item Cyrenes et Feretrii h. e. Apollinis (vel, secundum Pherecydem fr. 10, Paeonis) Aristaeus⁶⁷). Aristaeus vero ille humani generis sospitator, exitiabilium Caniculae aestuum temperator, pestilentiae depulsor (*ἀλεξήτης*) ac medendi scientia divinitus imbutus (Apollon. Arg. II, 512, 519), Chironis discipulus (ib. 510)⁶⁸), venator ac sagittarius (Arist. mir. ausc. 105, Nonnus XIII, 306, XXIX, 193 sqq.), similis genitori, immo et ipse Apollo

66) Diomedi homines victimae caeduntur Cypri: Porphyr. de abst. II, 54.

67) V. de Aristaeo Pind. Pyth. IX, 26 sqq., Apoll. II, 500—21 et schol., Diod. IV, 82 et ceteros locos ap. C. O. Mueller Orch. 342 et Dor. I, 283—85, Broendsted Reisen und Untersuchungen in Griechenland I, 41—48.

68) Aliquorum fama etiam filius (Bacchylid. fr. LIII, v. Nevium V. 111. ad h. l.) aut nepos (Bacch. l. l., coll. Anth. Pal. XIV, 68, Steph. s. v. *Κάρυστος*) Chironis. Quo reducimur in memoriam eorum, quae de Alconis cum Chirone conjunctione supra attigimus.

Agreus variisque aliis nominibus instar dei invocatus, quid aliud est, nisi, id quod nomine indicatur, Apollo (h. e. Perdens) in optimam partem, Feretrius benignus totus ac propitius mortalibus, hoc est Alcon? Ergo Aristaeus, Diomedes, Alcon re et ratione (et quidquid inde consecrarium, veluti ritus genere) unum omnes et idem numen, nomine tenus diversi. Sed haec alias accuratius explicanda sunt⁶⁹), attigisse et haec conjectura a sacrificii genere profecta, non poenitet: neque enim facile fugerit peritiores, quantum faciant ad penitus perspicendam Alconis naturam. Nunc vero quod propositum erat, assequuti sumus, ut, vix ullum Alconi, qualem ex superiori disputatione cognitum habemus, accommodatius esse sacrificii genus, quam illud clari coloris equorum, appareat.

Denique etiam testimonium Luciani de conditione monumenti considerandum est. In cippo sepulchrali imago erat extypa herois laeva manu intento nervo arcum tenentis, dextera aliquid, quod, uti ait Lucianus, videbatur esse volumen. De singulis his nonnulla annotavi in ann. 53, ad quae, ne longus sim, nunc liceat revocare. Neque vero tum tota exstabat imago, superiori parte cum ipsa facie per longi temporis iniuriam jam tantum non deleta, incolumi tamen quum altero insigni, tum arcu. Ex quo quidem insigni vel uno nobis licuit agnoscere, qualis fuerit heros. At contra istius aetatis homines — Lucianum incusem, an anteriores eo quospiam? —, quum non amplius assequerentur medicam arcus et sagittarum vim, a nullo alio magis indicio profecti novam de heroe medico confinxerunt historiam (*καινήν ιστορίαν*): hominem fuisse

69) Cf. in Arb. l. l. 98, 118, 126 sq., ib. VII (d. att. Pallad.) 92.

οἶοι νῦν Βερτοί εἶσιν, nec Graecum, sed Scytham quendam Toxarin nomine, hunc Athenas venisse, Solonis aetate, vitam ibi degisse, dilapsunque scilicet olim hominum memoria post centum quinquaginta amplius annos grassante pestilentia quo praedixi miraculo in memoriam esse revocatum. Tunc enim, ait, monumentum esse repertum, et nomen quidem herois cognitum ex titulo sepulchrali, sed qui ne tunc quidem integer superesset: non igitur oculis unquam, sed conjectura perceptum est nomen. At vero certior, inquit, conjectura fuit ex imagine insculpta, quae videlicet hominem Scytham repraesentabat. Quam certa, paullo post videbimus, at hoc quidem jam ipso Luciano confitente compertum habemus, omnia ista meram niti conjectura. At nolite credere eo, quo dicit, tempore facta, sed enim ita omnibus temporibus egerunt coniectores sacrorum, ut quod ipsi hariolarentur, id ipsum creditum certe ab initio contenderent. Quod autem ad probabilitatem conjecturae attinet, primum quidem nominis auctoritatem apparet esse nullam: immo Toxarin nomine appellare invaluerat, qui τοξήρης, h. e. arquiteus, et erat, et ex maxime conspicuo insigni jam olim fortasse sermone vulgari traxerat cognomen. Neque vero multo major erit auctoritas conjecturae ex imaginis habitu. Scythia, inquit, repraesentatus erat. At non certe vestitu scythico. Diserte enim excipit Lucianus, non fuisse illum „regii generis neque pileatorum“: videlicet nec tiara, nec barbaricus ille cultus, qualem fere in vestitu heroum, ut ita dicam, scythicorum graecae artis monumenta solent exhibere⁷⁰⁾, ista in imagine conspiciebatur.

70) Exempla sint Aetes (Scytharum rex, v. ap. Ukert „Geogr. d. Griechen und Römer“ III, 2, p. 309; Colchi omnes Scythae

Neque haec sine consilio, quae infra leguntur: Toxarin, postquam Atheniensium inquilinus factus esset, scythica omnia, barbam, vestem, acinacem, deposuisse. Itaque vix quidquam residuum fuerit a toto illo homine scythico, quem in columella repraesentatum volebant, praeterquam, quod initio significavi, arcus scythicus⁷¹⁾. Minus autem, si recordamur, quod praeter Herculem certosque alios perpancos haud facile ullus heroum arcu et sagittis instructus repraesentari solebat, quod-

schol. Apoll. IV, 259, Tzet. ad Lyc. 174 et 887) v. c. in vaso picto Lucanico „arch. Zeit. n. F.“ t. III, Medea ibid., cf. Mueller ench. arch. § 246. 5, 412. 5, Amazones v. c. in vaso picto ap. Millin „monum. ant. inéd.“ I, 35, 1, „galerie mythol.“ pl. CXXIX, 495, Thoas gal. myth. CLXXI bis, 626.

71) De scythici arcus figura Ammianus Marcellinus XXII 8: cum arcus omnium gentium flexis curventur hastilibus, Scythici soli vel Parthici circumductis utrimque introrsus pandis et patulis cornibus, effigiem lunae decrescentis ostendunt, medietatem recta et rotunda regula dividente. Cf. Agatho trag. ap. Athen. X, 454, et, qui pontum euxinum specie scythicum in arcum esse sinuatum volunt, Strab. II, 125, Plin. IV, 24, aliosque multos, quos laudatos invenias ap. Millin mon. inéd. I, p. 15, Ukert l. l. p. 158 et 303. Arcum quem Hercules gerit, scythicus est: Theocr. id. XIII, 55 sq. Ἀμφιτροωνιάδης . . Μαιωτιστὶ λαβὼν εἰκαμπέα τόξα, ad quae schol. ἐχρήτητο δὲ Ἡρακλῆς σκυθικοῦς τόξοις, διδαχθεὶς ὑπὸ τινος Σκύθου Τευτάρου, ὡς ἱστορεῖ Ἡρόδοτος καὶ Καλλιμάχος —, Lycophr. Cass. 56, 915 sqq., 458. Confirmatur id artis monumentis: v. Mueller ench. arch. 410. 5, et exempla ap. Millin mon. inéd. I, 2 (scythicus arcus et clava ut symbola Herculis in nummo Heracleae Cherson.), gal. myth. t. CXX 440, 471, CXXIV 436 (Herculis comes cum scyth. arcu), CXV 443, 603, CXIV 444, CXI 432, Gerhard vasor. del. II, tb. CV. CVI, CIX, CXVI, CXIX. CXX, CXXXV, CXXXIX, CXLIV, aliaque passim. Eundem arcum fere gestant Amazones (e. c. Millin gal. myth. CXXIX 495), et in nummis Chersonensium Diana (ex. inv. ap. Koehniun in „mém. de la société impériale d'archéol. et de numism. de St. Petersbourg“ II, tb. X, XI, XVI, XVII).

que arcus res erat existimatione Graecorum ita propria ac peculiaris Scytharum genti, ut adeo vocabula τοξότης et Σκύθης posteriori praesertim aetate tantundem saepe utrumque valerent promiscueque usurparentur⁷²⁾, — minus mirabile esse videbitur, ex arcu vel solo conjectari potuisse, heroem illum origine fuisse Scytham. Jam profecto nec deerant quaedam alia, quae talis opinionis confirmandae esse viderentur. Etenim mirabilis quaedam medendi scientia imputabatur quondam barbaris illis populis septentrionalia Europae incolentibus: quo quidem nomine Zamolxin, Abarin, ipsumque Anacharsin celebratos fuisse constat⁷³⁾. Neque id Luciano incognitum fuisse, ex ipsius narratione facile perspicitur, qui haud dubie talem sibi cogitatione informaverat Toxarin suum, quales fuere Zamolxidei illi medici incantatores, quorum mentio est apud Platonem. Aliud argumentum peti potuit ex solennis sacrificii genere, quippe quum Scythicus sit ritus, equis vel

72) Arcus res propria scythico nomini, v. Sophocl. *Ναυκλίφ* ap. Steph. *Ἄσπις*, Plut. conviv. sept. sap. 21, Orph. Argon. 1078, all., longeque Scythae prae ceteris gentibus sagittandi arte excellabant, v. Herod. I 73, Xen. Mem. Socr. III 9, 2, Dionys. perieg. 750 sq. et Eust. ad l. Unde etiam vulgaris opinio fuit, arcum et sagittas inventum esse scythicum, et antiquissimum quidem, ut quod Scythae, Jovis filio, gentis videlicet auctori, attribueretur, v. Plin. VII 57. Sagittarii, qui excubiis urbanis perfungebantur Athenis, promiscue vulgo vel τοξόται vel Σκύθαι, quanquam ne omnes quidem natione essent Scythae, vocabantur: v. Boeckh. „Staatshaush. der Athener“ I, p. 222 sq. Equites vero sagittarios (*ἵπποτοξότας*) etiam omnes qui ubique essent Scythas appellare obtinuit: v. Aelian. de mil. ord. instit. p. 3 ed. Ven., Ukert l. I. 303, n. 37.

73) Plat. Charm. p. 156 et 158; Plut. conv. sept. sap. 14. Agari, Scythiae gens, medendi artis fama celebres, v. ap. Ukert p. 433; medicamenta plurima ex Scythia, ib. 249 sq.

praecipue et rem divinam facere⁷⁴⁾, et vero parentare regum potissimum in tumultis⁷⁵⁾. Quanquam ejus sacrificii causas rectius repeti ex Alconis semonis feretrii natura paullo ante comprobavisse mihi videor; at non ita alte repetere solent religionum causas aequales Luciani, vel ingenio similes.

At nobis certe jam haud scio an absque offensione uti licuerit ac frui illis, quae ex rituum sacrorum documentis coniectura assequuti eramus, quandoquidem haec reliqua magnam certe partem, id quod ab initio profitebar, opinionum esse commenta patefactum est. Jam si quis ita sentiat, totam fabulam ab ipso potissimum Luciano non confictam, at certe ita, uti apud ipsum legitur, adornatam esse, me quidem adversantem non habebit⁷⁶⁾. Nam ironia, qua utitur Lucianus, ipsam magis superstitionem, quam historiam, perstringi supra annotavimus. Indicia autem, quibus arguat Lucianum, curiosius narrationem examinanti non deerunt. In quibus fuerit quum totius declamationis consilium, quo Scythia quispiam requirebatur, qui paullo, quam Anacharsis, prius venisset Athenas; tum, quod non modo aperte, sed paene disertis verbis ipse noster prodit, novam sese ac mirabilem historiam narrare, incognitam Graecis⁷⁷⁾, modo prorsus eodem ille, quo Philostratus (in Heroicis) aliique per illa tempora scriptores novas suas ac veras, quas dicerent, historias de diis vel

74) Herod. IV 61, cf. Ukert l. I. 315.

75) Herod. IV 127, Ukert l. I. 307, A. Hansen „Osteuropa nach Herodot“ § 268 sq.

76) Quanquam idem ego iterum profiteor, mihi ipsi non ita liquere, ut aliquid affirmare audeam.

77) Τὴν δ' αἰτίαν τῆς ἑπωνυμίας . . οὐ χεῖρον ἔσται διηγήσασθαι, ὡς μάθῃτε κ. τ. λ.

heroibus in medium proferre solebant. Novas scilicet res mirum quam cupide appetebat ingenium temporum illorum: ut novas tabulas, sic novas fabulas.

Peracta jam propemodum est disquisitio de heroe medico, absoluta etiam posteriori ejus parte, quae versata est in narratione Luciana pertentanda, perquirenda, excutienda. Jam suam sibi quisque opinionem de restituendo, ut vocabulo utar, totius rei contextu informet licebit. Meam etiam, ne forte desideretur, breviter exponere placet. Sed monitos volo lectores, non amplius a me defendi posse, quae dehinc sum propositurus, ne conjecturae quidem nomine. Scilicet tutius aliquanto ac probabilius illud dumtaxat visum est, magna illa pestilentia Athenis grassante sacra publica Alconis medici herois instituta fuisse, eumque finem habet proxima disputatio, initium habitura est actionis pars altera, quae erit de Sophocle sacerdote, edenda alias. Nunc vero haec qualiacunque boni consulti.

Alcon, quem natura feretrium esse scimus, necessario debuit esse filius Feretrii. Sic enim mihi persuasum est, antiquissimo sermone mythico filios fere eos dici, qui patris vim ac potestatem vel totam vel ex parte referant (veluti Aristaeus Apollinis filius dictus est), minus saepe eos, qui eventus efficientiae genitoris repraesentent (sicuti Aesculapius Apollinis filius habitus est), id quod allegoricae rationis est, aliquanto serius receptae. Feretrii filium esse, factum est mythicum (mythische Thatsache): haec materies omnis conjecturae, hic fons ac principium fabulae variae, famaeque localiter dissidentis. Ergo atticus Alcon aliis Martis filius

erat, aliis Eurysthenis cujusdam (qui filio infestus fuit⁷⁸), quemadmodum Marti Diomedes). Aequo bono jure aliis potuit esse pro Herculis filio, vel (nam perinde est) gemello vel comite: qua de re infra nonnulla proponam. Ceterum eodem modo, quo Machao⁷⁹), Alexanor, alii id genus heroes, etiam in Aesculapii posterorum numero haberi potuit. Quodsi revera Ξένος Ἰατρὸς cognominatus fuit, ejus cognominis ratio haud dubie fuerit quaedam reconditor. Utique, si ita fuit, non potuit patre attico natus existimari, nec profecto ejusmodi fabulae ullum exstat certum vestigium. Nihilo secius potest idem antiquitus in Attica gentiliciis quibusdam sacris cultus esse⁸⁰). Jam qua vidimus tempestate Atheniensibus,

78) Vide Proxenum loco supra (p. 4) laudato. Eurysthenes nomen idem valet, quod Eurystheus, Eurymedon: de Alcone et Eurymedonte Cabiris gemellis egi in att. Pallad. p. 91—93.

79) Fuerunt, qui Machaoni matrem vel Arsinoen (deae in loco Spartanis habitam, Paus. Lac. 12, 7) vel Coronidem assignarent (schol. Il. IV, 195, Hygin. f. 97), quarum utraque vulgari fama ipsius Aesculapii mater perhibetur. Illa videlicet fama Machao proprie neque patrem Aesculapium, sed Apollinem h. e. Paeana habere debuit, ipse deus medicus ac vere Paeon.

80) Apud Hesychium exstat locus adhuc a nemine in pagos Atticorum inquirerentium observatus: Ἀλκίων . . καὶ δῆμος τις. Coniecteris, pagi nomen esse Ἀλκή, paganorum Ἀλκίαι: unde herois eponymi utique debuit esse Ἀλκων. De demorum eponymis v. schol. Aristoph. av. 645 (ἀναγράφει δὲ τοὺς ἐπωνύμους τῶν δήμων καὶ φυλῶν Πολέμων), Herod. π. μονήρ. λέξ. p. 52 ed. Lehrs, et, qui hanc rem nuperrime pertractavit, H. Sauppium „de demis urbanis Athenarum“ Lips. 1846, p. 6—9. — Ceterum hoc loco quaestio institui possit, fueritne forte Athenis Alcon pro eponymo gentis alicuius sacra simul auctoris et medendi quandam scientiam a majoribus acceptam propagantis, quales fuere inclytae Asclepiadum tribus singulae gentes per Graeciam sparsae (v. Nicomachidae, ann. 46), Chironidae medicinae ex herbis periti circa Pelion montem (Dicaearch. frgm. de Pelio monte ap. C. Mueller l. I, II, p. 263). Verum is locus rectius tractabitur in altera parte hujus disquisitionis.

pestilentia conflictatis, anxieque ac superstitiose, sicuti proditum habemus, numinum alexicacorum opem, qua ad salutem emergerent, circumspectantibus, repente se obtulit Alconis memoria. Igitur, ut fere fiebat⁸¹⁾, spectata per somnii visum mirabile herois erga civitatem et benevolentia et remediandi praesentibus malis potentia, accedente interpretamento et auctoritate Delphici oraculi, nec non Areopago suas partes, quas in constituendis novis et appositiis religionibus habebat, tuente⁸²⁾, publice decernuntur solennes honores Alconi ut Heroi Medico (Ἡρώς Ἰατρὸς). Singula persequi, opinione vaga, non libet, sed hactenus prodita ac genuina narrationi, quae apud Lucianum habetur, subesse autumo, reliqua omnia, si non ab ipso temere conficta sint, at posteriorum temporum esse commenta.

Verum enim vero postquam veram rationem fabulae Lucianae perspectam habemus, jam libenter concedere possumus vel potius fingere, forsitan non prorsus temere conflatum esse illud de scythica herois medici origine commentum, sed fundum ejus quendam fuisse etiam in ipsa Alconis religione. Quid si adeo concedimus, aliquid aliquando legi potuisse in epitaphio, prouti affirmat Lucianus, unde de nomine tali, qualis est Toxaris, coniectura capi posset? (Nam liquido nomen apparuisse ipse negat Lucianus). At fingamus, haec ita se habere. Tutior utique aliquanto erit caussa nostra, si etiam talis commenti rationem ita reddere valuerimus, ut quadrare

81) Qui exempla requirunt, adeant Nitzschium „die Helden-sage der Griechen nach ihrer nationalen Geltung“ p. 38 sqq.

82) Harpocr. s. v. ἰατρὸς ἱερὰς. Hujus collegii curam etiam ad rem medicinalem pertinuisse, argumento est Hygin. f. 275.

et ipsum in Alconem videatur. Sed paullo altius repetendum est.

Supra jam annotatum est (ann. 69) de fama divulgata, arcum et sagittas inventum esse Scythae, Jovis filii. Scythae ipsi, teste Herodoto (IV 5), originem et conditorem gentis suae ferebant Targitaum, ex Jove et Borysthenis amnis filia ortum. Eundem Graeci Scytharum inquilini, teste eodem (IV 8—10), dictitabant Herculem⁸³⁾. Huic utraque fama terni assignantur filii, trium Scythiae populorum auctores, principatu tamen ad natu minimum, quem Scythae Colaxain, Graeci Scytham nominabant, delato, quia is patrem sagittando aequasset. Itaque Targitaus est scythicus Hercules, Hercules Sagittator⁸⁴⁾. Jam nomini Targitaus simillimum esse atque ex eodem scythico vocabulo derivatum videri nomen Teutarus, nemo non intelligit. Atqui a Teutaro quodam Scythae Herculem Thebanum sagittandi arte imbutum esse arcumque, quem gerit (qui scythicus est, v. ann. 71), dono accepisse, fama fuit (v. schol. Theocr. XIII 56, Tzetz. ad Lyc. 50). Ergo sagittiferae gentis auctor, scythicus Hercules graeco Herculi, benefico Sagittario, auctor et magister sagittandi artis attributus erat, commento sane profecto probabili. Jam vero videtis omnes, quam consentaneum foret, si Sagittatoris filius patrem aequiparans Herculi comes additus esset, si Al-

83) Herculem inter deos a Scythis cultos memorat Herod. IV 59.

84) Juvabit hic meminisse, quod etiam Hercules medeudi potens, qui Olympiae colebatur (v. ann. 40), scythicus est Hercules, quippe quem ab Hyperboreis venisse creditum sit (Paus. El. I, 7). Forsitan etiam Hercules Thasiarum, specie sagittator, et sospitator, σωτήρ, cognomine ac potestate, idem sit cum scythico (v. Paus. El. I 25, II 11, et nummos Th., e. c. ap. Mueller. „Denkm. a. K.“ vol. I, t. VIII, 31).

con, Herculis comes, fama aliqua perhiberetur filius Teutari Scythae, videlicet ne sic quidem non Feretrii. At contra ille, inquit, Cretensis perhibitus est. At ratione prorsus eadem, ac si Scytha origine fingatur. Nam et Cretenses, qui sagittarum et usu paene soli Graecorum⁸⁵), et peritia prae ceteris insignes fuere⁸⁶), ad se inventi gloriam trahebant⁸⁷), quam vulgatiores fama Scythis tribuebat. Proinde etiam Herculi sagittarum artis praeceptorem alii non Scytham, sed Cretensem fuisse volebant, Rhadamanthyn (Tzetz. l. l.): nulloque alia ratione, ut dixi, continuo et Alcon, Herculeae sagittarum potentiae quasi effigies, Cretensis evadebat. Unde scilicet non infringitur, immo magis confirmatur coniecturae meae auctoritas, aliis illum Scythae Teutari filium fuisse, et firmiori etiam, puto, qui ita coniciebant, fundo mythico inniti poterant. Et Teutari quidem nominis, ut jam redeamus, unde paullo ante profecti eramus, forma aliqua esse potuit in epitaphio (finge, exitu in — *is*), quae, aliquot litteris deletis, facillime volentibus praesertim ipsum illud Toxaris suppeditaret.

Hic mihi finis coniectandi de Alcone heroe medico. Reliqua omnia reponenda sunt *εἰς λόγον ἴστερον*, in particulam posteriorem: non enim nunc ad perorandum aqua datur.

85) Paus. Att. 23, 4: "Ἐλλῆσιν ὅτι μὴ Κρησὶν οὐκ ἐπιχώριον ὄν τοξείων. Cf. Pollux I 49: εὐδοκίμου . . . τόξον κρητικόν.

86) Vide Hom. Il. XXIII 882 sqq., Pind. Pyth. V 39, et locorum nubem ap. Meursium „de Cretae, Cypri, Rhodi rel. et antiq. Amst. 1675“ p. 177 sqq., cf. etiam Hoeck Creta III, 461 sq.

87) Ipsi Cretenses apud se Curetes primos „τὰ περὶ τὴν τοξικὴν καὶ τὰς κυνηγίας εἰσηγήσασθαι“ affirmabant, teste Diodoro V, 65.

Ad pag. 6, ann. 9.

Operae pretium videtur, dd. vv. de loco nostro sententias, quarum in contextu disputationis obiter facta est mentio, ipsas, quatenus praesentis materiae modum non egrediuntur, paullo longiore in annotatione collectas ante oculos ponere, quo faciliori negotio lectores, cognitis, quae adhuc sunt acta, tum de loci conditione ipsi sententiam informare possint, tum de mea argumentandi ratione iudicare. F. Schultz de vita Sophoclis poetae, Berol. 1836, p. 125: „cum „praecipuo hoc Aesculapii amore“ [erga Sophoclem, a quo aliquando hospitio exceptus esse dicebatur, qua de re nos in Part. II pluribus] „forsitan aliquid conjunctionis habet, quod Sophocles Halonis herois „sacerdotium habuisse dicitur, qui cum eodem deo apud Chironem educatus est.“ [Educatum ap. Chironem Meinekium quoque interpretari, qui addi jusserit *τραφεὶς*, supra fuit videre]. Ritter l. l.: „τὴν τοῦ Ἄλκ. ἱερ. Alco heros medendi arti praepositus „tanquam gemellus [!] Aesculapii cum Chirone vitae quadam societate „junctus fuisse dicebatur, ideoque communibus sacris uterque „cultus est. Fama de Aesculapio hospitio Sophoclis excepto „fortasse hinc nata est, quod Sophocles Alconis sacerdos aliquando „et hunc et cognatum Aesculapium, h. e. utriusque dei, tricliniis „exceptit. *ἱδρ. ἐπ' Ἰοφῶντος τ. υἱοῦ μ. τ. τελευταίου*. Cur hoc loco minime apto, ut videtur, de statua mortuo Sophocli posita „a filio Jophonte rettulit? magis mirum hoc videtur, cum aliquanto „post de morte Sophoclis de sepultura et monumento ejus exponatur; sed mirari desinemus [?], sicubi Sophoclem sacerdotum Alconis habitu sacerdotali ab Jophonte propositum esse tenerimus, id „quod ex nexu narrationis consecrarium est (!).“ Ad quae Welckerus in commentatione de Sophoclis quadam statua, recusa ex „annali dell' inst. archeol.“ 1846, XVIII, haec p. 8: „la connessione dell' erezione dell' imagine col sacerdozio per mezzo del „participio *ἱδρυνθεὶς*, mentre Triclinio gli separava scribendo *ἱδρύνθη δέ*, „corrisponde ai codici più antichi. Ritter p. 148 conchiude da „questa congiunzione, la statua sia stata in ornato sacerdotale, po-

„trebbe però ugualmente bene referirsi al luogo dell' erezione, cioè „al sacrario di Halone (Alcone), di cui Sofocle era sacerdote“ [ubi addit in nova editione germanica, in „antike Denkmäler I,“ p. 463: „wenn nicht etwa vor *ιδρουνθεις* eine Stelle ausgelassen worden ist.“] Wieselerus in censura praedictae Welckeri commentationis l. l. p. 1245 sq.: „Es sind nur zu viele „Indicien da, dass die Stelle mehr als eine Verderbniss in sich „trage. Um von der leichtern anzufangen, so fühlte schon Meineke, „dass es mit den Worten *ὁς — Χείρωνι* nicht seine Richtigkeit habe „(„adde *τραφεις*“). Man kann sich hier, mit der sehr leichten „Veränderung *περι Χείρωνα* begnügen. Der pariser Cod. C hat sogar „*περι* anstatt *παρά*. Für die Redensart *ἦρας περι Χείρωνα* brauchen „wir wohl keine Belege anzuführen [?]. Was dann die Worte von „*ιδρ.* an betrifft, so bemerkt schon Ritter: cur hoc loco — exponatur, indem er freilich der Ansicht ist, dass die Verwunderung auf „hören werde, wenn man seine Erklärung annehme, woran wir recht „sehr zweifeln. Ein Jeder wird *ιδρουνθεις* auf den Alkon und „nicht auf Sophokles beziehen.“ [Ita sane debebant omnes, cf. nos in „Arb. etc.“ p. 103 sq.] „Man schreibe: *ιδρ. ὑπὸ Φαλῆρου τοῦ υἱοῦ μετὰ τὴν τελευτήν*“ [simile aliquid et ego olim audaciori conjectura sum suspicatus, v. l. l. p. 106] „oder mit Auslassung des Namens bloss *ὑπὸ τοῦ υἱοῦ*. Denn möglicherweise entstand der Fehler so, dass jemand der, wie die Neuern, die Worte „auf den Sophokles bezog, den Namen des Jophon hinzusetzte, um „so mehr als Sophokles mehre Söhne hatte. Der Cod. Jenens. hietet *ιδρ. μ. τ. τελ. Ἰοφ. τ. υἱοῦ*. Ich glaube keineswegs, dass dieses „eine verschiedene Lesart, welche Beachtung verdiene, sondern eine „Correktur der gemeinen Lesart, ausgegangen von einem solchen, „welcher daran Anstoss genommen, dass grade dem Jophon die „*ἰδρυσις* des Sophokles zugeschrieben werde, von dessen Zwiespalt „mit dem Vater doch in dem Folgenden die Rede sei. Zu unserer „Ansicht passt es vortrefflich, dass unmittelbar nach diesem Satze „nicht fortgefahren wird *γέγ. δὲ καὶ Διοφ. ὡς . .*, sondern *γ. δὲ κ. Δ. ὁ Σοφοκλῆς ὡς οὐκ ἄλλος*, eben, weil in den Worten von *ιδρ.* an, von

„dem Alkon die Rede gewesen war.“ Rursus ad haec Welckerus in repetita commentationis suae editione l. l. p. 464: „Wieseler emendirt *ιδρ. ὑπὸ Φαλῆρου . .*, weil ein Jeder *ιδρ.* auf den Alkon beziehen würde. Diess freilich, wenn alle Texte geschrieben „wären so deutlich, so richtig, wie sie sein sollten. In der Sache „selbst aber ist Grund genug, den Alkon mit Sophokles und den „Phaleros mit Jophon nicht zu vertauschen: denn es ist unerhört, „dass mythische Heroen nach ihrem Tode von ihren Söhnen Statuen „erhalten, und diess ist begreiflich, da die Heroen dadurch an die „wirkliche Welt zu nah herangerückt werden würden.“ [At sacra certe, pace summi Viri dixerim, crebro dicebantur heroibus ipsorum filii vel necessarii instituisse, veluti Herculi et vivo Telamo aram apud Trojam extruxisse, Apollod. II, 6, 4, et mortuo statim Jolaus heroicum honorem reddidisse Diod. IV, 39, et Aesculapio, ut deinde videbimus, templa pleraque nepotes condidisse; non item et statuas mythica q. d. aetate positas creditum esse affirmaverim, at forsitan neque *ιδρουνθεις* utique de statua hoc praesertim loco. Haec pro Wieseleri opinione, meam adhuc cohibeo.] „Auch *περι Χείρωνα* kann ich nicht zugeben, denn *οἱ περι τὴν Ἀφροδίτην, περι τὴν Δήμητρα* sind Dämonen [v. Lobeckium Aglaophamo p. 1234 sq.]; „solche hat Chiron nicht um sich, sondern nur Heroen bei sich in „der Lehre“ [qui una cum Chirone universi *οἱ περι Χείρωνα* audirent, „*ὁ περι Χείρωνα* nemo unus], „so dass zu *παρά Χείρωνι* unzweifelhaft „*τραφεις* mitverstanden werden muss.“

Ad pag. 18, ann. 37.

Apollo *Παίων, Παιήων, Παιάν* (contr. ex *παιάων*), *Ἰηπαιήων* proprio significato in utramque partem, sc. et *παιών τὰ κακὰ*, et vero *παιών ἀντὰ τὰ ζῆνα*: Macroh. Sat. I, 17, Paul. Diac. p. 222 Muell. (cf. Paus. Ach. 23, 6, Phurnut. de nat. deor. 32, Procl. hymn. in Sol. 21 sqq.); exempla Soph. Oed. Tyr. 154 ed. Wund. coll. v. 200, Hymn. in Apoll. Pyth. 94, Aesch. Agam. 144, Eur. Alc. 220, id. Jon. 125, 141, Aristoph. Vesp. 874, Acharn. 1212 c. scholio (*παιώνια* Apollinis festum Athenis), Juven. VI, 171.

Eodem modo paeān est canticum precantium ab Apolline, ut aliquid feriendo tollat vel avertat, mala videlicet, inpr. pestilentiam, sed et hostes (recurrente intercalari *ἡ παιάν*, cf. Callim. in Apoll. 103 *ἡ παιῶν ἦε βέλως*); idem tamen etiam, malo sublato, gratulantium (*ἀλώσιμος παιάν*): Il. I, 673 c. schol., XXII 391, Hymn. in Apoll. Pyth. 322, 339 sq., Theogn. 773 sqq. Bk., Pind. ap. schol. Nem. VII 94, Aesch. Sept. 620, Xen. Anab. V 2, 14, Eust. ad Il. I 473, schol. Thuc. I 50; cf. Procl. exc. chrest. gramm. ap. Phot. bibl. 11, Serv. ad Virg. Aen. VI 657 (proprie Apollini, abusive etiam aliis diis paeānes accantari, — sc. averruncis vel victoriae datoribus, sed et e contrario, veluti Orco, Eur. Alc. 431, cf. Aesch. Choeph. 149 et infra), Mueller Dorer I, p. 300 fg., Bernhardy op. c. § 107, 8.

Eodem sensu ac *Παιών*, h. e. de effectu aequali in duplici eventu, et ipsum nomen Apollo acceptum (quasi *ἀπολλύων*), Archiloch. fr. 23 Bk., Hippon. fr. 23 ib., Aesch. Agam. 1091, Eurip. Phaeth. ap. Macr. l. I., Serv. Virg. Aen. III, 138, Myth. Vat. II 18, 19, cf. Plut. de daed. 5, et aliis consimilibus cognomentis idem deus est appellatus: *Οὐλίος* (id. q. *ὄλιος*) Pherecyd. fr. 106 (fr. hist. gr. ed. Mueller I), Strabo XVI, p. 511 C., *Ἰήσιος* (*ἰήσιος*) Apollod. fr. 7 (l. I.), *Ἀργεῖος* Aeschyl. ap. Plut. Amat. 13, cf. Hesych. s. v.

Specialiter ac vel praecipue Apollo Feretrius pestilentiae ut propulsator, sic et auctor est, utroqueversus *λοιμῖος* cognomento dictus (v. c. ap. Lindios, Macr. l. I.). Et auctor quidem pestilentiae, sicuti in Iliade, comparet Apollod. II, 5, 9, Couon. narr. 19, Paus. Boeot. 36, 2, Att. 43, 7 (coll. Statio Theb. I, 570 sqq., Anth. Pal. VII, 54), schol. Il. XXI, 447, cf. Athen. X, 452 (cf. etiam de Ap. sacri morbi — quem Elasi depellebant, v. annot. 13 — auctore Mueller op. c. I, 285). Hinc etiam mos, publicae salutis caussa *ἐπ' ἀποτροπισμῶν λοιμικῶν νόσων*, homines, qui *φαρμακοί* dicebantur, piacula hostias offerri Apollini: Hipponax ap. Tzetz. Chil. V, 743 sqq., Hellad. ap. Phot. 279, Harpocr., Hesych., Suid. s. v. *Φαρμακοί*, Tzetz. Chil. V, 726 sqq., Herrmannu Gottesd. Alterth. d.

Gr. § 60, cf. Zenob. IV, prov. 29 all., de rei ratione etiam nos in „Arb.“ l. I. p. 129. Hi „virgis caeduntur“, quod graece *ἐπιραβδίζεσθαι* (*κράδαις κρηθρίοις* sim., v. Il. II.): nempe tanquam eos ad instar populi caedat, h. e. *παίοι*, Apollo. Sic enim Apollo *ἐράβδη δάφνης παίων* in nummis Cauloniae, e. gr. Mueller Denkm. a. K. I, XVI, 72, cf. nos. l. I. 132 (cf. et Ps. Orph. hymn. XII, 13—15 *ἔλθε μάκαρ νόσων θελητήρια πάντα κομίζων, ἐξέλασον δὲ κακὰς ἄτας, κλάδον ἐν χερσὶ πάλλων, πτηνοῖς τ' ἰοβόλοισι κῆρας χαλεπὰς ἀπόπεμπε*, et nummum Selinuntiorum ap. Muell. l. I. XLII, 194); sic idem flagellum manu tenens in nummo Prusiae Mionnet descr. II, p. 482 (cf. de consimili numine Aegyptiaco Steph. Πανὸς πόλις); sic securi praeditus, itidem ut *ὁ παίων*, in nummis Tenediorum, v. Clausen Aeneas und die Penaten I, p. 76, in nummo Thyatirae Panofka Ask. t. I, n. 16, in nummo Hierapolitum arch. Zeit. 1845, t. XXXII, n. 51. — Eidem deo templa saepe vota vel alios honores habitos esse propter averruncandam luem constat, cognomentis fere non amplius ambigue opitulatorem praedicantibus, veluti Athenis peste sub initium Peloponnesiaci belli grassante Apollini *Ἀλεξικακῶν* statua publice posita est, Paus. Att. 3, 3 (cf. schol. Ar. pac. 422, Plut. 438 et infra), occasione eadem a Phigalensibus Apollini *Ἐπικουρέω* inclytum templum exstructum, quod adhuc exstat, Paus. Arc. 41, 5 (cf. etiam quod est ap. Paus. Phoc. 11, 4), denique et tempore eodem et occasione Romae quoque aedes Apollini vota, Liv. IV, 25 (simile factum id. XXVII, 23). — Ex artis monumentis sufficiat commonefecisse nummi Selinuntii (supra laudati), cujus in latere adverso q. d. efficti sunt Apollo et Diana, ut publici morbi quum maxime grassantis auctores, e curru sagittis perimentes populum, et vero ectyporum praedicti Phigalensium templi, in quibus iidem sagittantes e curru comparent, at non jam eo consilio, puto, ut homines enecent, sed ut hominibus perniciem depellant, pestilentiam exterminent.

Eodem modo, quo *Λοίμιος*, deus Paeān specialiter appellatus est *Πορνόπεος*, Strab. XIII, p. 613, Paus. Att. 24, 8; *Σμινθεύς*, Polemo. ap. schol. Il. I, 39, Strab. l. I., Aelian. H.

An. XII, 5, Tzetz. ad Lyc. 1302, cf. nos l. l. 135; Ἐρυσίβιος h. e. Robigus, Strab. l. l., cf. Ovid. Fast. IV, 905 sqq., Gell. V, 12, 14, Schwartz de antiquiss. Apoll. natura, p. 20.

Jam vero et Παιῶν appellatus est prorsus ut medicus deus: v. c. Paus. Att. 34, 2, Theocr. epigr. 7, 1, Ps. Orph. Arg. 176 sqq., Stat. Silv. I, 2, 2, Colum. X, 224, all. Idem medicinae inventor vel auctor Plat. Cratyl. p. 405 Steph., Serv. Aen. XII, 405, Hyg. f. 274, cf. Myth. Vat. III, 8, 15. Eodem pertinentibus cognomentis Ἴατροί passim, v. c. Lyc. Cass. 1207 (ἱατρούμαντις Aesch. Eum. 62), Ἀκίσσιος (apud Eleos) Paus. El. II, 24, 5, Ἀκίστωρ Eur. Andr. 882, Medicus ap. Romanos (Liv. XL, 36, Schwenk Mythologie II, S. 104).

Proinde Παιῶν cognomentum factum cujusvis alius dei, cui aliqua medendi potentia imputaretur: Παιήων deorum medicus apud Homerum, Il. V, 401, 899, Od. IV, 32, Hesiod. ap. Eust. ad. Od. l. l., incertum, Apollo, an alius quispiam; Minerva Παιωνία h. e. medica, Paus. Att. 2, 4, cf. Panofka op. c. 31 sq., item alii, imprimis autem Aesculapius, medicorum deus, hoc cognomento gaudens, v. e. gr. Arist. Plut. 636, Nicand. Ther. 686, 439, Callistr. imag. 10, cf. Virg. Aen. XII, 401 sq., Ovid. Metam. XV, 535, cui et canticis paeonibus supplicabatur, Athen. VI, p. 250, Philostr. vita Apoll. III, 17, Phil. jun. imag. 13, ut tamen et aliis diis (v. supra).

Postremo παιῶν dicitur evaluit quidquid quovis modo medicetur. Aliquando quidem non sine omni propriae significationis cogitatione, veluti quum Aesch. Ag. 98 παιῶν τῆσδε μερίμνης dicitur somnus (meminisse juvabit soporiferam Mercurii virginam, Macr. l. l.), multo magis etiam in hoc Sophoclis Phil. 165 sqq.: θηροβλοῦντα πτηνοῖς ἰοῖς σμυγερόν σμυγερῶς, οὐδὲ τιν' αὐτῷ παιῶνα κακῶν ἐπινομῶν (huc quoque pertineat, quod mors παιῶν invocatur, Aesch. ap. Plut. cons. ad Apollon. VI, p. 404 ed. Reiske, id. Philoct. ap. Stob. floril. 117, Eur. Hippol. 1360, et all.) Sed omnino ad omnem rem medicam pertinent vocabula hinc derivata: παιωνία χεῖρ Soph. Phil. 1317, Aesch. Suppl. 1067 al., μέλη πρὸς νόσους σωμάτων παιωνία Porphy. vita Pythag. p. 64, παιώνιον i. q. σωτήριον vel Φάρμακον Suid., Hesyech. s. v., παιήονα vel παιώνια Φάρμακα Aesch. Agam. 848, Hip-

poer. epist. passim, v. c. t. III, p. 810 ed. Kuehn, Pollux onom. IV, 179, παιωνία herba medica Theophr. hist. plant. IX, 9, Plin. XXV, 10 „vetustissima inventu“, Ps. Orph. Arg. 921, praeterea paeonius lapis, παιωνία s. παιωνίς sc. σοφία, τέχνη, παιώνιον i. q. ἱατροῦ alia, v. Salmas. exerc. Plin. ad Solinum, p. 20 A, K. Sprengel Gesch. d. Medicin, 3. Aufl. I, 174, et H. Stephan. Thesaur. s. l.

Ad pag. 25, ann. 53.

Lucianus Scythia seu Conciliatore Hospitii §. 1—3: „1. Non primus e Scythia Athenas venit Anacharsis graecae disciplinae cupidus, sed Toxaris etiam ante ipsum, sapiens quidem vir pulchrique amans et optimarum artium studiosus, domi vero non regii generis neque pileatorum [οὐδὲ τῶν πιλοφορικῶν]), sed Scytharum unus e multis ac plebeius, quales apud illos sunt qui Octipedes vocantur [οἱ ὀκτάποδες καλούμενοι], hoc est qui binorum sint boum singulorumque plaustrorum domini. Hic Toxaris neque rursus ad Scythas rediit, sed Athenis mortuus est; neque ita multo post etiam pro heroe est habitus, sacrificantque illi ut Hospiti Medico Athenienses**): hoc enim nomen***) heros factus accepit [ἐπεκτήσατο]. Causam vero cognominis, et quapropter in heroas sit relatus, et pro Aesculapii posteriorum uno habitus, enarrare forsitan haud ab re fuerit (. . . καὶ τῶν Ἀσκληπιαδῶν εἰς ἔδοξεν, οὐ χεῖρον ἴσως διηγήσασθαι), ut discatis, non Scythis modo patrium esse immortales reddere homines et ablegare ad Zamolxin****); sed Atheniensibus etiam licere deos facere in ipsa Graecia Scythas.

*) Cf. Dio Cass. LXVIII, 9, Petri Patric. hist. in exc. de legat. p. 24, Aur. Vict. de Caes. 13, Ukert Geogr. der Gr. u. Roem. III, 2, p. 607; de pileo scythico (κυρβάσις) Herod. VII, 64.

**) Καὶ ἐντέμνουσιν αὐτῷ Ξένῳ * Ἴατροῦ οἱ Ἀθηναῖοι — codd. Wiltianus et Vindob. 114 ἱατροῦ.

***) Τοῦτο γὰρ τοῦνομα — cod. Paris. 2955 τοιοῦτο γὰρ ὄν.

****) Οὐ Σκ. μόνον ἐπιχώριον ὄν ἀπαθανατίζειν καὶ πέμπειν παρὰ τὸν Ζάμολξιν. Respici puto ad Plat. Charmid. p. 156: ἔμαθον . . . παρὰ τινος τῶν Θρακῶν τῶν Ζαμολξίδος ἱατρῶν, οἱ λέγονται καὶ ἀπαθανατίζειν.

2. In magna illa pestilentia (κατὰ τὸν λοιμὸν τὸν μέγαν) visa sibi per quietem est videre Architelis Areopagitae uxor astantem sibi Scytham (τὸν Σκύθη), qui juberet dicere Atheniensibus, futurum, ut morbo grassante liberentur, si angiportus vino multo conspergant. Hoc identidem factum (neque enim Athenienses neglexerant moniti) finem pestilentiae apud illos imposuit, seu vapores quosdam noxios per odorem delente vino, sive aliud quid amplius sciens heros ille Toxaris, utpote medicinae peritus, consuluit. Merces igitur curationis hodieque illi persolvitur, equus albus in ipsius monumento immolatus, illo ipso loco, unde indicavit Dimaenete*) progressum illum illa de vino praecepisse: et inventus ibi est sepultus Toxaris, quum ex titulo agnitus, etsi is non iam totus apparebat, tum maxime ex eo, quod in columella insculptus erat homo Scytha, sinistra arcum intentum tenens, dextra vero, ut videbatur, librum**). Adbuc etiam videas ultra dimidiam

*) ἡ Δειμανέτη: an Δημανέτη? Quod nomen exstat ap. Hippocr. epidem. t. III, p. 440 ed. c., Lucian. Philops. 27, all. Ceterum quod hic Lucianus quam paullo ante non addito nomine memoraverat, eandem iam, quasi olim cognitam legentibus, nomine (adiecto praesertim articulo) appellat, id mirationem facere non debere, argumento esse potest locus ex eiusdem scriptoris dialogo alio modo laudatus.

***) Τῆ τε ἐπιγραφῆ γνώσθεις, εἰ καὶ μὴ πᾶσα ἐφαίνετο ἔτι, καὶ μάλιστα, ὅτι ἐπὶ τῆ στήλῃ Σκύθης ἀνὴρ ἐγκεκόλαπτο, τῆ λαϊᾷ μὲν τόξον ἔχων ἐντεταμένον, τῆ δεξιᾷ δὲ βιβλίον, ὡς ἔδοκει. Quid sit ἐγκεκόλαπτο, illustratur per Herod. II, 106 εἰσὶ . . . περὶ Ἰωνίων δύο τύποι ἐν πέτρῃσι ἐγκεκολλημένοι τούτου τοῦ ἀνδρὸς (Sesostridis) . . . ἐκατέρωθεν δὲ ἀνὴρ ἐγγεγλυπται, quandoquidem alterutra descriptorum ab hoc imaginum adhuc exstat haud procul a Smyrna et deprehenditur esse extypa in vivo saxo ex cisa, emiens ex quadrato in cavato (v. Kiepert, „das sogenannte Monument des Sesostris bei Smyrna“ in „archaeol. Zeit.“ I, nr. 3, et Lepsius in iisdem diariis IV, nr. 41, p. 271 sqq.). — τῆ λαϊᾷ τόξον ἔχων ἐντεταμένον] refert hocce schema protendentis arcum intentum, nec tamen protinus sagittam missuri (vid. non adnota altera manu) ex. c. Hercules in vaso picto ap. Gerhard. vasor. del. II, tb. CXXIV; quod vero laeva arcum tenet, dextera aliud quid, hoc quidem prorsus eadem ratione, qua etiam dei feretrii, quantumvis non nisi per teli iactum propitium sese praestare possit, mala scilicet feriendo, tamen, quum propitius esse fingitur, „simulacra manu dextra gratias gestant, arcum cum sagittis sinistra“ Macrob. I. I., cf. exempla ap. Muellerum in onchir. archaeol. §. 86 et 395,5.

eius partem, arcum autem integrum atque librum*). Superiora vero columellae**) et ipsam faciem tempus iam abolevit [ἤδη ἐλυμμένατό που]. Est autem non multum a Dipylo, ad sinistram in Academiam euntium, tumulus non magnus, et humi iacens columella. Verumtamen coronata semper est [σλήνη* ἀλλ' ἔστεπται γε αἰεὶ], et aiunt feбри laborantes iam aliquot ab ipso liberatos esse***), neque profecto incredibile, qui totam olim urbem sanaverit.

3. Verum enim vero, cuius rei caussa mentionem illius injeci, superstes erat Toxaris, quum Anacharsis, navigatione modo finita, a Piraeo ascendit, tanquam peregrinus et barbarus non mediocriter turbatus animo . . . Ita affecto Anacharsidi obviam in ipso Ceramico fit bonus aliquis revera genius, Toxaris . . . Anacharsis autem unde illum agnosceret popularem suum esse graece vestitum, rasum genas, non cinctum, sine ferro****), iam lingua promptum, indigenarum istorum iam unum Atticorum? adeo ab ipso iam tempore immutatus fuerat etc.“

*) Καὶ τὸ τόξον ὅλον καὶ τὸ βιβλίον: v. καὶ τόξων. Ceterum quod librum agnoscere sibi visi sunt Luciani aequales, seu verum viderunt, sive alia omnia, non est, cur miremur, quum et Aesculapii simulacris pro insigni nonnunquam addita sint volumina, velut signo marmoreo ap. Clarac „mus. du Louvre“ 294, 1164 et Panofka op. c. tb. VI, 1 a.

**) Τὰ δὲ ἄνω τῆς στήλης: ed. Reitz. τὰ ἄλλα.

***) Non desunt sane statuarum medicarum exempla, v. c. Luc. de or. concil. 12: ἤδη καὶ ὁ Πολυδάμαντος τοῦ ἀθλητοῦ ἀνδριάς ἵσται πρῶτοντας — videlicet ut vita similis fuit Herculi, v. Paus. El. II, 5, 3, sic deinde pro heroe habitus similis potestatis, cf. ann. 40 — καὶ ὁ Θεαγέτους ἐν Θάσπ, de quo, uti ap. Paus. l. I. 11 legimus, et alia mirabilia praedicabat fama, et, Herculis eum filium esse; credebaturque, statuas ipsius, passim apud graecas barbarasque civitates constitutas atque in honore habitas, morbis omnibus mederi: cf. Athenag. leg. 26, qui statuae cuidam Neryllini, Alexandriae in Troade constitutae, et Alexandri apud Parianos simulacro (cf. ann. 13) medendi vim opinione vulgi tributam esse auctor est, — aliaque ap. Lobeck. Agl. p. 1171.

****) H. e. non cinctum ferro, acinace; cf. Luc. Anachars. 6, 34.

Sententiae controversae:

- 1) Heroum, qui solennibus ritibus antiquitus apud Graecos colebantur, plerosque primitus in existimatione deorum vel naturae divinae fuisse —
- 2) Cyclicorum qui vocantur vel Homericorum poetarum carmina collecta inque unum corpus redacta esse auspiciis Pisistrati (cf. K. L. Roth in rhein. Mus. für Philologie, von Welcker, Ritschl, Bernays, n. F. VII, 1, p. 135—38) —
- 3) Fidem denegari non debere veteribus auctoribus tradentibus, Rhaetos prolem esse Tuscorum, hoc est, mea sententia, mixti ex Tuscis et Umbris populi, qui ante Gallorum invasionem circumpadanas regiones tenuerat —
- 4) Priscos Venetos, Adriae accolae, Slavos fuisse, religionum quoque vestigiis comprobari —
- 5) Apud Pseudo - Orpheum in Argonauticis v. 145 sq. legendum esse: Ἄλκωνος δὲ Φάληρος ἀπ' Αἰσάροιο (vulgo: Αἰσάροιο) ῥοάων ἦλυθεν, ὃς Γύρτωνος (intellige Κρότωνος) ἀλίστεφὲς ἔκτισεν ἄστν —
- 6) Manilii Astronomicon libros, qui feruntur, versionem esse videri graeci operis, a vetere Manilio Antiocho (Plin. H. N. XXXV 58) compositi, interpolatam ab interprete Romano, qui Octaviano Augusto imperante vixerit.

